806962

4.0.35.

Don de Mme
Waddington. 1930

6/10 il

Digitized by Google

806962



Reſpublica HOLLANDIÆ, et Urbes.

VGDVNI BATAVORVM, Ex officina
ANNIS MAIRE. Anno cIↃ IↃC XX

HUGONIS GROTII

DE

ANTIQUITATE

REIPVBLICÆ BATAVICÆ

Liber ſingularis.

BIBL LYON

ILLUSTRISSIMIS
HOLLANDIÆ WESTFRISIÆQUE ORDINIBUS
H. GROTIUS
Fiſci Hollandici, Zelandici, & Weſt-Friſici Advocatus.

EXIGUUM *vobis libellum offero, Nobiliſſimi atq; Ampliſſimi Patres: imo offert ſeipſe, mole quidem exiguus, at magnus argumento, veſter vero totus. Veſtrum enim imperium, veſtra jura majeſtatemque defendit. Hoc namque agit, ut, breviter ab initio inclitæ gentis in hunc diem intercedentia ſæcula percurrens, oſtendat, penes utriuſque ordinis primores curam ſemper fuiſſe Batavæ rei, quæ tandem ad*

vos perpetua ſucceſſione delata eſt. Hæc quippe poteſtas fundamentum fuit Reipublicæ, præſidium æqui juris, frænum principatus. Hanc reverebantur olim, huic faſces ſuos ſubmittebant placide publici ſtatus ſummi præſides atque tutores, ſive Reges illi, ſeu Duces, ſeu poſtremo Comites vocabantur. Ipſæ denique ſanctiſſimæ leges velut in ſinu Ordinum tuto conquieſcebant. His gubernatoribus illa quondam & nunc iterum clariſſima Batavorum libertas per graviſſimas procellas in hanc felicitatem temporum enavigavit. Quod enim gravius libertati periculum eſſe potuit, quam à Romana olim potentia, ab Hiſpana nuper, quæ Romanæ proxima, aut, ut ſibi videtur, maior etiam Romana? Per utrumque tamen emerſit, & cum in arma truderetur, oppoſuit prementium viribus cauſæ æquitatem, bene ordinatum imperium

rium, animos invictos. Bis ſucceſſus adfuit, ad ſtuporem uſque humani generis, auctaque cum bello fama & opes, ut ferme quos magnæ claritati Deus deſtinat, eos per labores & pericula prætentat. Eodem procerum ductu emicuit illa non minor armorum laude Batavorum fides, quã in maioribus quondam veſtris expertus eſt populus Romanus, dum vera manſit ſocietas: & nunc in vobis agnoſcunt proximi reges; nec hi tantum, ſed & qui adverſa nobis veſtigia prementes, alia ſidera, aliud cœlum vident. Quæ cuncta pro dignitate exſequi, ingens annalium labor fuerit: nobis ſatis in præſens huius optimatis imperij vetuſtatem velut per indicem commonſtrare. Quam operam ſperamus nec ciuibus inutilem fore, nec externis injucundam. Quamquam enim veriſſimum eſt quod & ab Alcibiade & ab Auguſto dictum invenitur,

boni eſſe civis præſentem Reipublicæ ſtatum tueri, eumque mutatum nolle, tamen affectu majore eam Rempublicam proſequimur, quam & ipſi habemus, & videmus maioribus noſtris placuiſſe, aut ut optimam, aut ut ipſis convenientiſſimam: quamque adeo parentes ſuis ſudoribus, ſuo ſanguine defenſam, velut propriam, poſteris reliquerunt. Adde, quod in omnibus rebus vetuſtas ipſa plurimum habet dignitatis: ita ut Maſſilienſes, quorum præſtantiſſima creditur fuiſſe Reſpublica, laudentur eo nomine, quod gladio ad puniendos ſontes uſi ſint eodem à condita urbe, quo indicarent in minimis quoque rebus antiquæ conſuetudinis momenta ſervanda. Proxime enim ad Deum accedit antiquitas æternitatis quadam imagine. unde ſenectutis veneratio animis noſtris innata eſt: quam in Republica tanto magis quam in hominibus colere

debe-

debemus atque admirari, quia mortales cum ſint homines, ſenectus in ipſis imminentis exitus nota eſt: Reſpublica vero cum in ſpem immortalitatis inſtituta ſit, ab ipſa ætate vires accipit, & ſeneſcendo invaleſcit. Certiſſimum enim argumentum imperij bene conſtituti eſt diuturnitas: hinc maior eius fiducia amorque civibus: nec aliam magis ob cauſam durat Reſpublica, quam quia duravit. Externis etiam conſulendum fuit, ut ij quos rerum geſtarum magnitudo cognoſcendæ huius Reipublicæ cupidos effecit, non modo quæ nunc ſit, ſed & quæ fuerit, intelligant: demto errore, quem ſæpe nominum ſimilitudo parit in re diſſimili. Neque enim ubique ijdem ſunt Principes, ijdem Ordines: verum alibi ſumma poteſtas unius, conſilium plurium: alibi plurium poteſtas, unius procuratio: alibi ſub Principe leges: alibi ſub legibus

DE MIRANDIS BATAVIÆ
AD J. DOUSAM.

IGnerata tuæ referam miracula terræ
Douſa peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium laſſat textina Minerva;
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra:
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi:
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.
Hic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis,
Quæ vineta colat, nulla putator habet,
Hic nulla, aut certe ſeges eſt rariſſima lini:
Linifici tamen eſt copia maior ubi?
Hic mediis habitamus aquis: quis credere poſſit?
Et tamen hic nulla Douſa bibuntur aqua.

IDEM

IDEM GRÆCE.

Ὑμετέρης ἐρέω νηπενθέα θαύματα
γαίης,
Δουσιάδη δύσπιστ' ἀλλοδαποῖς ἀΐειν
Ἐνταῦθ' οὐκ ἀρκοῦσ' ἐρίοις ἱστῶνες Ἀτή-
νης,
Πᾶν δὲ φροῦδ' ἅπαν εἰροπόκων οἴων.
Ἄστεα χερσίους οὐ χωρεῖ τέκτονας ἄνδρας,
Ἐργασίμης δ' ὕλης ἔστ' ἀχόρηγον ἕδος.
Σιτοδόκους πυροῦ σωροὶ ῥήγνυσι καλιάς,
Εὔβοτος ἡ γαίη δ' οὐ φλόπυρος ἔφυ.
Ἄπλετοι ὧδ' οἴνου νενασμέναι εἰσὶ πιθάκ-
ναι,
Οὐδενὸς οἰνοπέδου δ' ἐστὶ φυτηκομίη.
Οὐδαμὸς οὐ σπάνιος τῆδε σπόρος ἐστὶ λί-
νοιο,
Πῶ ποτε δ' εἰσὶ λίνου πλείονες ἐργασίαι;
Οἰκίαι εἰσὶ μέσσοισιν ἐν ὕδασιν. τίς κε πί-
θοιτο;
Ὑδροποτεῖ δ' οὐδεὶς ἐνθάδε Δουσιάδη.

CAPI-

CAPITA HUIUS LIBRI.

CAPUT I. Quid ſit Principatus in Republica optimatum, quid Ordines.
CAP. II. Quæ Batavorum Reſpublica fuerit, condita primum gente.
CAP. III. Quæ Batavorum Reſpublica fuerit florente Imperio Romano.
CAP. IV. Quæ Batavorum Reſpublica fuerit poſt lapſum Imperii Romani.
CAP. V. Quæ Batavorum, hoc eſt, Hollandorum Reſpublica fuerit, Comitum tempore.
CAP. VI. Quomodo tentata Reipublicæ mutatio cauſam bello dederit.
CAP. VII. Quæ in bello fuerit, poſt bellum ſit Batavorum Reſpublica.

Amice

Amice Lector,

NOTAS illuſtrandis quibuſdam locis perneceſſarias, margo quidem latior facile admittat, hic enchiridij modulus omnino excludit. Quare eas, ne cui fraus fiat, ſtatim ad libelli huius calcem ſubjecimus, aliquanto auctiores vulgatis. Hoc volebam, neſcius ne eſſes; Vale.

CON-

CONTENTORVM IN HOC ENCHIRIDIO CONSPECTVS.

I.

HVgonis Grotij De Antiquitate Reip. Batavicæ Liber ſingularis.

II.

Notæ in eundem librum.

III.

Pauli Merulæ de ſtatu Reipubl. Bat. Diatriba.

IV.

Ordinum Holl. & VVeſt Friſ. Decretum de maieſtate Reip. Bat. nunc primum ex vernaculo Latine redditum.

V.

Vrbes Hollandiæ Selandiæque, & earundem Encomia.

VI.

Principes Hollandiæ, Selandiæque ex Batavia illuſtrata.

Omnia

Correctiora ex ſecundis curis.

P. SCRIVERI.

DE ANTIQUITATE REIPUBLICÆ BATAVICÆ.

CAPUT I.

Quid ſit Principatus in Republica optimatium: quid Ordines.

CUNCTAS nationes populus, primores, aut ſinguli regunt. Primorum regimen aut cum principatu eſt, aut ſine principatu. Principatum voco eminentem unius auctoritatem aliorum poteſtate atque legibus definitã. quibus ſignis à regno proprie nominato diſtinguitur. unde Tacitus Piſonem dixiſſe memorat de Germanico, principis Romani non Parthi regis eum eſſe filium: de Caligula autẽ Suetonius, pa-

rum abfuiſſe, quin principatus ſpeciem in regnum converteret: ſicut de Vercingetorigis patre Cæſar, obtinuiſſe eum Galliæ principatũ, ſed ob eam cauſam, quod regnum appeteret, à civitate interfectum. Et Plinius de Traiano, occupari ab eo principis ſedẽ, ne eſſet domino locus. Improprie tamen & principatus ipſe regnum vocatur. atque ita heroum temporibus exorta regna ait Ariſtoteles, cum populi iis, à quorum maioribus beneficiis affecti erant, puta inſtructi legibus aut bello defenſi, deferebant belli imperium cum judicãdi poteſtate. quod quidẽ regnum ait fuiſſe in volentes, & definito iure. Sic & Thucydides apud Græcos ait vetuſtiſſima fuiſſe regum imperia, patrum in liberos ſucceſſione delata, certisque honoribus circumſcripta. Unde apparet etiam in optimatium Re-

publica

publica principatus ſæpe generis ordine deferri. cuius rei nobile exemplum Lacedæmon exhibet. Primores autem, penes quos ſumma Reſpublica eſt, aut pro ſe quisq; ſententiam dicunt, ut fit apud Venetos, aut corporũ nomine. Quæ corpora aut eiuſdẽ ſunt generis, aut diverſorum. *Eiuſdem, ut apud Achæos, quorũ concilium ex legatis urbium* conſtituebatur. Fiunt autem diverſa ut civium, ita corporum è civibus genera, differentiis qualitatum, quibus ad Rempublicam aliter atque aliter ordinantur. Unde & hæ qualitates & ipſa corpora Latine *Ordines* vocantur. vulgus etiam *Status* appellat. Tales Hippodamus ordines tres faciebat, artifices, agricolas, milites: Plato cuſtodes, milites, agricolas: Ægyptii ſacerdotes, milites, opifices: Galli veteres, Druidas, equites, plebẽ:

Romani patricios, equites, plebeios. Quoties ergo primores ratione ordinum diſtincti ſummum rerum imperium adminiſtrant, id Ordinum aut Statuum regimen appellatur: ut in Germania hodie, ubi poteſtatem ſupremã iuncti cõſtituunt Electores, principes, civitates. Quod ſi ad hoc optimatium imperium ex ordinibus compoſitum legitimus accedat principatus, ea vero Reſpublica optime videri debet & dilecta eſſe & temperata. Nam cum in re omni id quod medium eſt probemus, medium autem dicatur modo id quod remotum utrinque eſt, modo id quod utrumque participat, apparet hanc Rempublicam ita inter regnum & multitudinis imperium eſſe conſtitutam, ut & mala utriuſque declinando à ſe avertat, & bona imitando in ſe derivet. Primum enim cum ne-

que uni homini multis erroribus obnoxio, neque multitudini imperitæ omnia permittit, maximis ſe proculdubio ſubdicit periculis. Quandoquidem vero regnum præcipue maieſtate, populi autem imperium æquali libertate cōmendatur: maieſtatem quidem principatu aſſequitur: æqualitatis autem quantum ſatis eſt, præſtat, cum cuivis è quovis ordine per virtutem ad ſummos honores partemque imperii munit viam. His, ne ſequentium ſeriem ſæpius interrumpāt, in ipſo ſtatim limine explicatis, nunc quæ Batavorum ab initio gentis ad hæc uſque tempora Reſpublica fuerit, ſedulo inquiramus. Id dum facimus; ſi non tam exacta afferimus argumenta, atque ſi in Græca aut Romana hiſtoria verſaremur, minime id mirum videri cuiquam debet: cum & vetuſtiſſima rerum Germanicarum

cognita non habeamus, niſi per Romanos, negligentes ſane rerũ externarum ſcriptores: & poſt Romani imperii lapſum, ut fere omnium circa id tempus gentiũ, ita & huius noſtrę memoria denſiſſimis tenebris, partim etiam fabulis ſit involuta; ac poſtea non niſi ſero apud nos reperta ſint ingenia, quæ rerum famam ad poſteros propagarent, ipſis quin etiam archivis diu ſilentibus. Dabit igitur veniam lector, ſi delineationem magis rudem, quam exactam totius Reipublicæ imaginem exhibemus: facietque, quod & judici facere, in cauſis præſertim à memoria remotioribus, neceſſe eſt, ut non in ſingula temporũ momenta teſtes exigat: ſed probato initio & fine, medii temporis ſimilem atq; perpetuum tenorem, ni contra appareat, æqua ratione ductus ſibi ipſe proponat.

Cap.

CAP. II.

Qua Batavorum Reſpublica fuerit, condita primum gente.

Conſtat igitur Batavos partẽ ante Cattorũ, ut & Tacitus [*Hiſt.* IV. *& de Moribus Germ.*] teſtatur, & Batavorum nominis apud Cattos, Cattorum viciſſim apud Batavos veſtigia evincunt, ante Julii Cæſaris tempora, & forte aliquot prius ſeculis, migraſſe in eas, quas nunc habent, ſedes, inſulas nimirum Oceano Rhenoque circumfluam, & proxima oræ Ciſrhenanæ, quæ Gallica ſeu Belgica vocatur. eaq; loca, ut Tacitus narrat, cultoribus vacua occupantibus ceſſiſſe, æquiſſima naturæ lege, qua rerum ſine domino jacentium domini fiunt qui primi eas poſſident. Eſt igitur hoc juſtiſſimum liberæ Reipublicæ initium: quippe quã po-

populus origine ſua liber in libero ſolo conſtituit. Qua Republica uſi ſint, Strabo ſatis docet, qui ait, Celtas omnes optimatium imperiis fuiſſe addictos. Celtas autem Græci cum dicunt, tum Gallos, vicinos Batavorum, tum vero Germanos complectuntur, quorum nobiliſſimi fuere Batavi, ſi quid Tacito & Plinio credimus. Et apud Gallos quidem veteres ante Romana tempora quę Reſpubliea fuerit, Ambiorix [*apud Cæſarē de bello Gallico lib.*v.] oſtendit, cum dicit eiuſmodi eſſe principum imperia ut non minus in ipſos juris multitudo, quā ipſi in multitudinem habeant: ubi multitudinis nomine non ipſum vulgus, ſed concilium cuiusque gentis primorum intelligi tum exempla apud Cæſarem demonſtrant, tum id quod Cæſar ipſe [*lib.*VI. *de bello Gallico*] dicit, plebem nullo pęne in loco eſſe apud
Gallos,

Gallos, nullique adhiberi conſilio, ſed imperium omne intra Druides & equites conſiſtere. Germanicas quoque gentes non ſub ſingulorum, ſed ſub plurium imperio ab omni ævo vixiſſe oſtendit illud Taciti [*de Moribus Germ.*] quo loco de antiquiſſimis Germanorum expeditionibus meminit: *quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas:* & Lucanus, [*leb.*VII.]

Libertas ultra Tanaim Rhenumque receſſit:
Et toties nobis jugulo quæſita negatur,
Germanũ Scythicumq; bonum:

Sequitur autem,

Ex populis qui regna ferunt, ſors ultima noſtra eſt.

Quibus locis *libertas* quid ſignificet, oppoſita *regni*, proprie nimium dicti, voce declaratur: ut & initio Annalium [*Tacitus:*] *Vrbem Romam à principio reges habuere.*

buere. Libertatem & Conſulatum L.Brutus inſtituit. Atque ut hæc Germanis communia,ita ad Batavos quoque ſpecialiter pertinuiſſe Civilis Batavus oſtendit, [*Tac.Hiſt.*IV.] in ea oratione qua Gallos ad libertatem hortatur: quippe cũ ſervire jubet Syriam, Aſiamq; & ſuetum regibus Orientem, ſatis oſtendit ut Orientis populos regno addictos, ita Batavos ab eo imperii genere natura alienos fuiſſe. Atqui id contrarium alicui forte videatur ei quod alibi dicitur. Civilẽ ipſum regio ortũ ſanguine. Adde quod Veromerum Batavorum regem appellat Strabo :& aliorum item Batavorum regem mentio eſt apud Ammianum Marcellinum. Sed nihil eſt manifeſtius, quam reges hos fuiſſe itidem ut Laconicos, nomine ſolo, re vero ipſa nihil niſi optimatium primos. Clare id oſtendit Tacitus, [*De*

Mori-

Moribus Germ.] cum negat Germanorum regibus *infinitam aut liberam fuiſſe poteſtatem:* quin & in concilio auditos ait, *auctoritate ſuadendi magis, quam jubendi poteſtate.* De Friſiis quoque locutus [*Annalium* XIII.] vicina Batavorum gente, cum dixiſſet eam natione à Verrito & Malorige regi, caute adjicit, *in quantum Germani regnantur.* Gothones quoque ubi deſcribit, [*De Moribus Germ.*] ait *paulo jam regnari addictius, quam cæteras Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem.* Suionas autem ut à Germanico ingenio degenerare oſtendat, *unum eis imperitare* ait, *nullis jam exceptionibus, nec precario jure parendi.* Neque tamen ſemper aut omnibus Germanorum gentibus tales reges fuere, ſed plerumque duces tantum. Diſtinguit Tacitus, cum ait *reges ex nobilitate, duces ex virtute*

ſum-

ſumptos. Et Cæſar [*lib*.VI. *de bello Gallico*,] Germanis *in pace nullum communē* ait fuiſſe *magiſtratum*, ſed *deligi qui bello præſint*, *ut vitæ neciſque habeant poteſtatem*. Rari ergo reges; duces ſæpe, & in unū-quodque bellum. quales apud Batavos Civilis ipſe, & prius Cariovalda, mox alii Ducum poteſtas ferme tantum bellica. regum aliquāto largior, aut certe hoc maior, quia perpetua. Utraque cum infinita non fuerit, neceſſario circumſcripta fuit finibus. Fines à lege & alia poteſtate. Lex dat exceptiones, ut Tacitus vocat: poteſtas autem pluriū addita facit, ut unus precario, non jure ſuo imperet. Leges ſcriptæ non fuere, ſed itidem ut Laconicæ, memoria hominū & uſu ipſo conſecratæ. Quales autem eæ fuerint apud Batavos in definiendo regum aut ducum imperio, difficile dictu eſt; niſi,

quod

quod credibile eſt, eaſdem aut nō multo diſſimiles fuiſſe iis quæ poſtea Comitum tempore uſitatæ, ut infra dicemus, ſero demū perſcribi cœpere. Argumentum mihi præbet, quod Batavi è Cattis orti ſunt, gente Germanorum omnium prudentiſſima, & nota imperandi parendique artibus, quod illis vocibus Tacitus [*de Moribus Germ.*] de Cattis loquens indicat, *præponere electos, audire præpoſitos*. deinde quod video nullam gentem conſtantius in publicis privatiſq; rebus maiorum inſtitutis adhæſiſſe: ita ut vere de his dici poſſit, quod Tacitus [*ibidē*,] ait, *plus ibi bonos mores valere, quam alibi bonas leges.* Exemplū ſit mos ille Catorum; quo crinem barbamque ſubmittebant, voto obligati nō niſi hoſte cæſo exuere ſquallentem oris habitum. Cuius memor apud Tacitum [*Hiſt.* IV.] Civilis Batavus

vus propexum rutilatumque crinem patrata demum cæde legionum depoſuit. Et ſcimus apud nos fuiſſe, qui initio eius, quod nuper deſiit, belli idem uſurpaverint, tradito à parentibus more. Ait Tacitus [*de Morib. Germ.*] turmas aut cuneos non caſu aut fortuita conglobatione factos, ſed per familias & propinquitates. Tales turmas cuneosque è vicinis & cõſanguineis in pleriſque Batavorum oppidis hodieq; invenias, excedente omnem memoriam inſtituto. Apud Germanos veteres [*Tacit. ibidem.*] ipſis incipientis matrimonii auſpiciis mulier monebatur venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramque. Hinc Batavis in hunc diem pro lege ſervata bonorum inter coniuges communio. Potum ex frumento corruptum in vini ſimilitudinem, veſtes

veſtes nõ fluitantes, ſed quæ ſingulos artus exprimant, villas in agris ſuis quamque ſpatiis circumdatas, omnes veteres Germanorum notas, nuſquã clarius agnoſcas. Inimicitias propinquorum à propinquis ſuſcipi, rurſus ſatisfactionem recipi ab univerſa domo, reconciliatis in *convivio inimicis, partẽ* mulctæ *regi aut civitati, partem ipſi qui vindicatur* aut propinquis, exſolvi, plane ita uti Tacitus narrat, manſere manentq; etiamnũ: niſi quod ante ſæculum unum & alterum inimicitiæ familiarum apertius atq; acrius exacerbantur. Morem ait Tacitus *fuiſſe civitatibus*, ultro ac viritim conferre principibus vel armentorũ vel frugum quod pro honore acceptũ etiam neceſſitatibus ſubveniret. hinc decimarum origo. Poſtremo mos ipſe ducem deligendi in exemplo Caninefatum deſcri-

deſcribitur, qui pars cum eſſent Batavorum, Brinionem, claritate natalium inſigni, *impoſitum ſcuto, more gentis* [*inquit Hiſt. lib.* IV, *Tacitus*] *& ſuſtinentium humeris vibratum,* ducem delegere. Eundem morem Batavis viciniſque gentibus manſiſſe per Comitum tempora, ex publicis monumentis apparet, quę clare teſtantur antequam prælium inter Friſios & Wilelmum Hannoniæ domus ultimũ committeretur, tentato colloquio Friſios inter cæteras hanc Comiti conditionem tuliſſe, quatuor Friſiorum nobiliſſimos impoſitum ſcuto Comitem humeris vibraturos, cum ſuperindicto: Hæc est potestas Frisiæ. Quare cum & in privatis rebus, & in iis publicis quæ ad ſpeciem magis, quam ad vim ipſam imperii pertinent, tam religioſe mos antiquus ab his populis ſit conſervatus, facile adducor,

ducor, ut imperii leges eas antiquitus credã fuiſſe, quas ſequentium temporum uſus oſtendit. Nunc penes quos, iuxta reges & duces, poteſtas ſummę rei fuerit, inveſtigandum eſt. Apud Germanos ergo, pręter eos qui ſacra curabant, duorum ordinum homines fuiſſe, reperio: principes & plebem. *Principes* cum dico, non ſingulos intelligo qui ſingulis gentibus imperabant, ut plerumq; ea vox uſurpatur: hi enim principes erant ipſi reges aut duces, de quibus locuti hactenus ſumus: ſed eos qui ſinguli partẽ aliquam gentis curabant, quæ partes maiores quidem pagi, minores autem vici vocantur. De his Cæſar, [*lib.* VI.] *nullus communis eſt magiſtratus: ſed principes regionum atq; pagorum inter ſuos jus dicunt, controverſiaſque minuunt.* Tacitus [*de Moribus Germ.*] eoſdem principes ait *jura per pa-*

 gos

gos vicoſq; reddere. Ac ſolitos quidem principes eligi Tacitus docet: *eliguntur in iiſdem conciliis & principes.* ſed ita ut maxima nobilitatis ratio haberetur: *Inſignis* enim, inquit, *nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant,* Unde ortum credo ut iuriſdictiones pagorum vicorumque diu in nobilibus familiis continuatæ, poſtremo fierent velut hæreditariæ. Sunt ergo hi principes dignitate generis ac muneris iidem, qui poſtea Barones ac Nobiles. Neque vero penes hos ita Reſpublica fuit, ut plebs, ſicut apud Gallos Cæſaris tẽpore, ſervorum loco haberetur. ſed principibus ſingulis, Tacito tradente, [*de Moribus Germ.*] *centeni ex plebe comites conſilium ſimul & auctoritas aderant.* Hi ſunt magiſtratus, quos una cum principibus agros diſtribuiſſe Cæſar [*lib.* VI.]

VI.] commemorat. Ipſe ergo imperii cuiuſque regiones partim à principibus, partim à dilectis è plebe adminiſtrabantur. idem vero qui partes ſinguli, totum imperii corpus univerſi regebãt, idque per concilium. Tacitus: [*de Moribus Germ.*] *De minoribus rebus principes conſultant, de maioribus omnes: ita tamen ut ea quoq; quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur.* Concilium ait duplex fuiſſe Germanicis nationibus. Minus, quo res quotidianæ & ſæpius occurrentes ordinabantur: id è principibus ſolis conſtitiſſe. Maius, penes quod ſumma rerum poteſtas: idque compoſitum ex utroque ordine. Nam quod *omnes* ait, non ita intelligendum eſt, quaſi ſinguli tanquam ad comitia convenerint, relictis laribus ac focis. id enim in gẽte magna, qualis præſertim Batavorũ, in qua nationes

ſeptem Plinius[*lib.*IV.]numerat, Batavos proprie ita dictos, Caninefates, Friſios minores, Friſiabones. Cauchos minores, Tuſios, Marſacios, fieri omnino nō poterat. Sed *omnes* dicūtur ipſum concilium, quo ex omni regione omniq; ordine idonei homines mittebantur. Explicat hoc ipſe Tacitus, [*de Moribus Germ.*] cum de Semnonibus loquens, *Stato*, ait, *tempore in ſilvam auguriis patrum & priſca formidine ſacram omnes eiuſdem ſanguinis populos legationibus coire.* Et de Germanis in univerſum, *coire, niſi quid fortuitum & ſubditum inciderit, certis diebus*, deinde: *Illud ex libertate vitium, quod non ſimul nec juſſi conveniunt, ſed & alter & tertius dies contatione coëuntium abſumitur.* Penes concilium ergo hoc utriuſque ordinis ſumma poteſtas fuit. Unde *licuit apud concilium accuſari quoque & diſcrimen*

crimen capitis intendere. Quin *eliguntur in iiſdem conciliis & principes & centeni ſingulis ex plebe comites*, quos diximus. Reges ipſi & principes in hoc concilio auditi, ut modo attulimus, *auctoritate ſuadendi magis quam jubendi poteſtate.* Quamquam vero id quod Germanorū omnium erat commune, non poterat non etiam ad Batavos pertinere: tamen hanc ipſam, quā dicimus, Rempublicam apud Batavos fuiſſe, hiſtoria Civilis [*apud Tacit. Hiſt. lib.* IV.] oſtendit. Is enim ut bellū adverſus Romanorum injurias rite decerneretur, *convocavit primores gentis & promptiſſimos vulgi:* ubi utriuſque ordinis clara veſtigia. Apparet ergo uſos fuiſſe Batavos optimatium imperio, adiuncto tamen principatu aut perpetuo ſub regis nomine, aut temporario ſub vocabulo ducis. Optimates ipſos fuiſſe duorum

ordinum: proceres, qui & primores & principes dicebantur: & dilectos è plebe: eos omnes concilio junctos ſummā habuiſſe rerum poteſtatem. Cæterum quia id concilium rarius coibat, res minores expeditas per regem ex procerum ſententia. partium autem ſingularum regimen fuiſſe tum penes proceres ſingulos quid juriſdictionem obtinebant, tum penes magiſtratus ex ſecundo ordine dilectos. qui concentus ſane admirabilis illam exprimit laudatam Platoni Rempublicam, quam optimates regunt cum plebis conſenſione. Illud tamen addendum eſt, una in re diſſimiles videri Batavos aliis Germanis fuiſſe. quod Germani ſine ullis urbibus vicos tantum habitabant; Batavis vero urbes conditas ſtatim ex quo inſulam occuparunt, credibile eſt, quia non ut cæteri temporariam, ſed manſuram

ſuram ſedem elegerant, idq; loco, ut Tacitus [*Annal.* 11.] ait, *ob faciles appulſus accipiendis copiis rerum omnium oportuno.* Hinc enim Oceanus Britanniam & maritima Germaniæ: inde Rhenus, Moſa, Scaldis, & Germaniã interiorem & pleraque Galliæ aperiebat commercio. Accidit quod *in Gallia jam* Cæſaris tempore *multa erant oppida*, propinquum Batavis exemplum. tum vero idipſum ſatis indicant, in parte quidem inſulæ inferiore, Lugduni Batavorum, in ſuperiore autem Batavoduri, vetuſta nobilium oppidorum nomina: præter minora, *Grinnes*, *Vada*, Arenacũ, aliaque Tacito & Peutingerianis Tabulis memorata. Quod ſi ita eſt, ut ſane credibile eſt, illud quoque conſequitur, cũ oppida ſine magiſtratibus eſſe non poſſint, eos magiſtratibus in publicis conciliis, juxta pro-

ceres, maximam habuiſſe auctoritatem, & plebem agro colendo, paſcendo pecori, piſcationi quoque & mercaturæ & hinc cohęrentibus opificiis intentam, libenter curam Reipublicæ his, quo diximus, magiſtratibus reliquiſſe.

Cap. III.

Qua Batavorum Reſpublica fuerit florente Imperio Romano.

HAbemus Batavæ Reipublicæ faciem, qualis ipſo gētis principio fuit. Sed quia Romana magnitudo ita pleraſque gentes obruit, ut & ex liberis civitatibus provincias faceret, & reges ipſos (ut ille ait) haberet inſtrumenta ſervitutis; putabit forte aliquis, communibus dominis ſuccubuiſſe etiam Batavos, maxime cum apud Tacitum [*De Moribus Germ.*] leget, Batavos è

Cattis

Cattis in eas ſedes tranſgreſſos, ubi pars Romani imperii fierent. Sed id quomodo intelligendum ſit, verba eiuſdem auctoris paulo poſt ſequentia declarant, cum Mattiacos Batavorum finitimos in eodem ait eſſe *obſequio.* quæ vox non ſubdito, ſed amico convenit, & prolatum eouſque non imperium, ſed *imperij reverentiã* denotat. *Notum eſt duo eſſe fœderũ genera, æquum & inæquale.* inæquale, cum alter populus in alterius ditionem concedit. æquale, cum populus uterque ſui juris manet: nec obſtat, quod populus alter altero eſt ſæpe multo potentior, dũ jure adæquentur: etſi plerumque is qui minus poteſt, etiam cum æquum eſt fœdus, ſponte reverentiam quandã atque obſequium præſtat potentiori. Atque ita par eſt credi, Batavos Romanorum reverentes fuiſſe, non autem Romanorum

imperiis obnoxios. Oſtendit hoc vox *ſocietatis*, qua Tacitus dicto loco utitur, & quidem honeſte: ait enim: *Manet honos & antiqua ſocietatis inſigne.* Societas quippe æqualitatem juris denotat, maxime cum vox *honoris* additur, quæ cadere nõ poteſt in eum populum, qui ſe alteri populo per deditionem aut fœdus inæquale ſubjecit. Multoque clarius alibi de Batavis idem Tacitus, [*Hiſt.* IV.] *nec opibus Romanis, ſocietate validiorũ attriti.* quia enim plerumque inter impares non manet vero ſocietas, ſed potius, ut in apologo eſt, leonina, quæ omnia in eam partem ducit, in qua plus virium eſt, diſerte notat Batavos ingenua virtute & fide hoc conſecutos, ut ſocietatem, hoc eſt juris æqualitatem, non vocabulo, ſed re ipſa retinerent. Idem ſic quoque colligitur. Tribus ſignis populi inferiores populo

Roma-

Romano ſubiectos ſe profitebātur: imperiis Romanorum magiſtratuum: tributis: vectigalibus. Et Magiſtratus quidem Romani in Batavorum inſula nulli unquā fuere. unde nec legatum unquam ad Batavos venire ait Civilis in oratione ad populares. ſed ipſi ſuis legibus, ſuis magiſtratibus Rempublicam adminiſtrabant. Unde nunquam provinciis accenſentur. ſed *gentem Batavorum*, *conventum Batavorum*, *civitatem Batavorum* ſæpe Tacitus: [*Hiſt.* IV, & V.] quibus vocibus nihil aliud indicat, niſi quod hodie liberam Rempublicam dicimus, ſicut *Helvetiorum civitatem*, hoc eſt, Rempublicā, Cæſar appellat. Jam vero ad tributa & vectigalia quod attinet, quorum nulla ferme natio immunis fuit, etiam quæ legibus alioqui ſuis, quaſi beneficio populi Romani, utebatur. Batavi neu-

neutrum pendebant. Tacitus: [*de Moribus Germ.*] *nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit*. Et ſtatim, *exemptos oneribus & collationibus* dicit. Civilis [*Hiſt*.IV.] in oratione ad Gallos, Batavos *tributorum expertes* vocat. Et Batavi de ſe ipſi: [*Hiſt*.V.] *ſibi tributa non induci*. Quæ de cætero capita fœderis fuerint, fruſtra quæramus: niſi quod veriſimile eſt Batavos & Romanos mutua pactos auxilia. Nam & Batavi, qui cũ vicinis de finibus quotidie certabant: minus habebant metuendum, ſi Romana magnitudine niterentur: & Romani adverſus Belgas, Germanos, Britannos, toto deniq, terrarum orbe magno ſibi uſui videbant Batavos fore, quippe omnium circa gentium virtute præcipuos, & equite, pedite, remige juxta egregios, inq; omne belli genus idoneos. Igitur ſicut
nunc

nunc Helvetii regibus pleriſque, ita tunc Batavi Romanis præbebant turmas & cohortes, *quas vetere inſtituto*, inquit Tacitus, [*Hiſt.* IV.] *nobiliſſimi popularium regebant*. Fuit hoc ipſum quoque magnum & in Romano imperio rarum æqualitatis ſignum, quod auxiliaribus, quas mitterent, copiis Batavi duces ipſi præficerent, non eos à Romanis acciperent. Hoc eſt, quod ait Batavos Tacitus, (Ibidem) *viros tantum armaq; imperio miniſtraſſe*: & alibi [*De Moribus Germ.*] *tantum in uſus præliorum ſepoſitos, & veluti tela atque arma, bellis reſervatos*. Præter auxilia aliud quoque maximum Romani ex Batavorum amicitia percipiebant, uſum nimirum inſulæ, ubi & præſidia habebant quædam, & claſſem prope littus, & cuncta parata tranſmittendo in Germaniam aut Britanniam bello. Dubitari

bitari non poteſt, quin C. Julius Cæſar, qui primus Romanorum in has partes penetravit, primus quoque Batavos in ſocietatem receperit. nam & inſulæ Batavorum ipſe meminit: & ſe ad confluentes Rheni ac Moſæ pervaſiſſe oſtendit: & in exercitu eius auxiliares fuiſſe Batavos Lucanus diſerte exprimit. Ipſe Germanos ſecum equites fuiſſe ſcribit, mox & levis armaturæ pedites quoſdam, qui aut ipſi Batavi, aut certe inter eos fuere, maxime cum reliqua Germania hoſtili eſſet in Romanos animo, & equites illos peditesque accitos, ſcribat Cæſar ex iis civitatibus quas ipſe pacaverat. Hi ſunt, quorũ præcipue virtute Galliam à Cæſare debellatam Oroſius auctor eſt. Hi, quorum impetum ad Noviodunum Galli ſuſtinere non potuerunt. Hinc Batavo equite pro tritos Heduos Arvernoſque

noſque iactat Civilis. Hi Gallos in Lingonum finibus Cæſarem adortos depulere. Hi bis ad Aleſiam hoſtem prælio vicere. Horum virtute acti in fugam Bellovaci. Pharſalicæ poſtea victoriæ initium non aliunde & fore Cæſar prædixerat & eventus monſtravit, teſtibus Floro & Dione. Eidem Batavi equites, quibus proprium vada nando cũ equis tranſmittere, aggreſſos Cæſarem Ptolemęum & Alexandrinos dedere in fugam. Quibus tantis fidei ac fortitudinis exemplis permotus Cæſar Auguſtus, ut nunc Helvetios plerique reges, ita Batavos cuſtodiæ corporis ſui admovit, quod ſecuti ſunt & cæteri poſtea principes. Meminerunt Dion, Suetonius, Tacitus, aliique. Sub Tiberio Germanicus tum inſulæ ſitu, tum Batavorum virtute, ut Cariovaldæ ducis exemplo probatur, ſumme adiutus eſt.

eſt. Claudii principatu, miſſo in Britanniam Plautio, magna eius inſulæ pars ſubacta, inſigni ac plane, ut Dion teſtatur, admirabili Batavorum opera. Rurſus ſub Nerone, Suetonio Paulino obtinente Britanniam, aucta ibi novis experimentis Batavorum gloria. Secuta mox bella civilia, quorum fere omnis fortuna in Batavorum manu. Hi Galbam erexere, & mox Vitellium. Ipſæ legiones Romanæ [*apud Tacitum Hiſt.* I.] *validiſſimos* exercitus ſui *artus* vocant, *viros fortiſſimos. veteres,* tot *bellorum victores:* Tacitus [*eodem libro*] Batavorum cohortes *prout inclinaſſent, grande momentum ſocias aut adverſas.* Hinc Julium Civilem non auſi interficere Vitelliani, [*eodē libro*] ne *viri præpotentis inter Batavos ſupplicio ferox gens alienaretur.* Et de Batavo Martialis: *Hæc timet ora pater.* Cum igitur in Cæſares impe-

imperiumque Romanum tanta eſſent Batavorum beneficia, tantus inſulæ uſus; tanta virtus atque fama auxiliorum, minime mirandum eſt, ſi per annos centum & viginti (tot enim ſunt à Caio Julio Cæſare ad Veſpaſianũ principem) Batavis ſuus honos manſit & ius integrum ſocietatis. Tum vero, cum Romani auxilia in dilectum mutarent, dilectum ipſum non modo avare exercerent, ſed, quod minime ingenuis ferendum erat, ſtuprorũ contumelia oneſarent, fecere Batavi quod viros fortes decebat, ut arma ſumerent, quibus & libertatem & pudicitiam tutarentur. Cauſas oſtendit Civilis: [*apud Tacitum Hiſt.* IV.] *Neque enim ſocietatem, ut olim. ſed velut mancipia haberi.* Ergo iuſta ſe *arma contra communes dominos cepiſſe. Libertatem natura etiam mutis animalibus datam.* Ex eius

D belli

belli hiſtoria apparet quantus fuerit Batavis amor tuendæ libertatis, pro qua veriti non ſunt provocare vim Romanam & circumfuſas ſibi quindecim legiones. Ergo *pulſum Batavorum inſula Romanum nomen:* ipſi *magna per Germanas Galliasque fama libertatis auctores celebrantur*. Hoc quoque in eo bello notandum, cum Galliæ pariter arma cepiſſent, & ſacramento ſuo obſtrinxiſſent etiam Romanas legiones, Civilem [*apud Tacitum eodem libro.*] *neque ſe neque quenquam Batavum in verba Galliarum adegiſſe.* quia ſcilicet non decebat populum liberum & pro libertate pugnantem in aliena verba jurare. Qui exitus belli iſtius fuerit, quod Batavi utriuſque ordinis decreto, ductu Civilis, contra Romanorum iniuſtam dominationem ſuſceperāt, clarum non eſt: quia Taciti hiſtoria

ſtoria in hac parte nos deſtituit. Sed cum dicat Tacitus à Ceriali oſtentatam Civili veniam, Batavis pacem, & Joſephus Judæus bellum hoc pace compoſitum ſcribat, non dubito, quin reſtituti ſunt Batavi in priſtinum ſocietatis gradum: eoque magis, quia de moribus Germanorum ſcribens Tacitus, ſecundo Traiani conſulatu, manere dicit Batavis honorem & antiquæ ſocietatis inſigne: & iis quæ ſequuntur, ſatis clare oſtendit etiam poſt id bellum nec tributis nec vectigalibus oneratos: ſed juris ſui manſiſſe, ea tantum lege, ut auxilia Romanis ſubmitterent. Et quidem iam ante, Domitiani principatu, [*Tac. in vita Agricolæ.*] Agricola in Britannia à Batavis adiutus res maximas confecerat: Adriano quoque ad Danubium caſtra habenti magnus Batavi militis uſus fuit. Poſt ea tem-

tempora non modo nihil diminutum de iure Batavorum, ſed aliquid inſuper honori acceſſiſſe teſtatur Inſcriptiones, quæ apud nos repertę, quarum alię Severi, aliæ Antonini & Getæ tempora præferunt. Hæ namque *gentem Batavorum*, & *cives Batavos*, non ſocios, ut hactenus appellati, ſed *fratres & amicos* vocant, tum *populi*, tum *imperij Romani*. ex qua appellatione, ut ait ſcriptor quidam Panegyricus, & communio apparet, & æqualitas dignitatis. Poſt hæc tempora Franci circa Rhenum noſci cœpere, adverſus quos perpetua Batavis Romaniſque bella. ſæpe in Batavorum inſulam Franci irrupere; ſæpe repreſſi. Tandemque Conſtantio imperante, cum Franci, Alamannos & Saxones ſocios ſecum trahentes, late victores vagarentur, Julianus eos ingenti ad Argentoratum prælio compeſcuit. cu-

ius

jus præcipuam fortunam virtuti Batavorum deberi Ammianus [*lib.* xvi.] docet. fuſum quippe iam equitatum Romanum, & hoſtes cœpiſſe gladiis perrumpere peditum teſtudinem, cum Batavi laborantibus ſubvenere, *formidabilis*, ut verba ſunt ipſius Ammiani, *manus*: & quidē cum *regibus ſuis*: unde colligere eſt eo tempore adhuc eandem, quæ olim fuerat, Batavorum manſiſſe Rempublicam, niſi quod ob cōtinua bella regum magis perpetuis imperiis, quam ducum extraordinariis utebantur. Romanos autem, laborante maxime imperio, nihil iuris detraxiſſe fortiſſimis ſociis, ſatis ipſa ratio demonſtrat. Cæterum non eſt dubitandum, quin acerrima cum Francis bella, quæ à Valeriani imperio ad Juliani principatum per centum ferme annos continuos duravere, Batavorum

gentem multum exhauſerint. ita factum, ut Salii primum, nobiliſſima Francorum natio, partem inſulæ, puto eam quæ Tranſiſalanæ proxima eſt, inſederint, eamque cum bona & Romanorum & Batavorum pace tenuerint: quos cum Quadi, Saxonica natio, pellere ſedibus inſtituerent, Julianus, bello primum Salios novos amicos tutatus, mox pacem ita confecit, ut Quadi ſimul Saliique, hi Francorum, illi Saxonum, virtute præcipui, in corpus nomenque Batavorum coaleſcerent. Itaque & legiones auxiliares à Quadis, Saliis Batavisque conſcripſit, quibus manſit Batavorum nomen, ut ex Zoſimo[*Hiſt*.III.]apparet. Unde apparet Batavos, aliarum gentium auctos acceſſione, iura libertatis imminuta ſervaſſe. Maxime autem in Britannia laborantem circa hæc tempora rem Romanam Bata-

Batavorum arma fulcivere, quorum ope recuperatum Londinũ, datuſque rector Britanniæ Civilis, quem Batavum regio ſanguine fuiſſe, nomen ipſum, à nobiliſſimo Flavianorũ temporum duce deductum, ſatis, ut puto, oſtendit,

CAP. IV.

Quæ Batavorum Reſpublica fuerit poſt lapſum Imperij Romani.

AB hac ætate ad primam Comitum inſtitutionem per quingentos ferme annos magnũ Hiſtoriæ deliquium eſt. Medio tempore, Saxones, Wiltos, *Slavoſque*, deinde Normannos atque Danos rapinis & incurſionibus omnia infeſta habuiſſe; Batavos contra, ſe ſuaque defenſando, magna inter dãna auxiſſe virtutem, ſatis conſtat. cætera in obſcuro ſunt. Nomen quoque

mutari hic incipit. Bataviæ enim ſive Batuæ appellatione intra ſuperiorem inſulæ partem concluſa, inferiores Batavi qui fuerant, Friſii dici cœpere. quod minime mirum, cum iam Plinii temporibus pars Batavorum Friſii minores & Friſiabones dicerentur, & inter Batavos corporis Cæſarum cuſtodes Friſiabones fuiſſe, Inſcriptiones antiquæ commonſtrent. Friſiorum autem nomen placuit, ſive quia ad libertatem id lingua noſtrate alludit, ſive quia Friſii lacubus & paludibus in viis circumfuſi, eoque inexpugnabiles, adverſus Barbarorum incurſiones cæteris quoque Batavis in aperto habitātibus perfugium fuere. Certe primos Comites, nondum Hollandorum nomine percognito, non aliter quā Friſios appellatos invenias. Sicut autem Tacitus olim regum & ducum, paulo autem ante

te

te hæc tempora regũ Batavorum Ammianus meminit: ita Francicæ & Germanicæ hiſtoriæ ſcriptores antiquiſſimi his ipſis temporibus reges Friſiorum nominant, quibus cum Francis gravia certamina fuere: & inter cæteros clarum Radbodi nomen, cuius regia in arce Medemelaca oſtenditur. Poſt reges autem duces iterum reperias, *expreſſis nominibus.* Hi ſunt qui & Poteſtates vocantur. Mirum autẽ eſt, quod apud Procopium [*Gothicorum* IV.] legimus, eſſe in Oceano prope Rheni oſtia Brittiam inſulam, quæ Britanniam contra aſpiciat. habitatam autẽ tribus nationibus, quibus nomina Brittones, Angli, Friſones. ex his multos quotannis in Francorum terras cultoribus vacuas immigraſſe: atq, inde Francos, cum in ipſam inſulam nihil juris habeant, ut quæ ſuis ipſa regibus gubernaretur,

tur, tamen eam pro ſua velle haberi. atque adeo regem Francorum in legatione, quam Conſtātinopolim ad Juſtinianum Imperatorem miſerat, una miſiſſe quoſdam eius inſulæ homines, ut eo facto imperium ſuum in eam inſulā quodammodo oſtentaret. Brittiam hanc aut Bataviam, aut certe aliquam eius partem maritimam fuiſſe, non ſine probabilibus cauſis dici poteſt: cum & nulla alia ſic in Oceano & Rheni oſtiis inſula, & in ipſo Batavico littore ad medium Rheni alveum conſtet arcē fuiſſe, Brittiam nomine, manentibus in hunc diem veſtigiis. Ab arce autem inſulam, aut ab inſula arcem appellari, minime eſt infrequens; ut apud nos Flævus & flumini & caſtello & inſulæ antiquum nomen eſt. Quod ſi ita eſt, præter indigenas, quos Friſiones dictos iam memoravimus,

mus, duæ exteræ nationes hanc inſulam incoluerint, Angli nimirum, gens vetus Germanica, & *Brittones*, coacti forte aut Pictorum aut Normannorum iniuriis, patrio ſolo relicto, tutiores receptus quærere. Certe Anglos una cum Saxonibus proxima Batavis ad ſeptentrionem littora tenuiſſe, atque *inde in Britanniam diverſis temporibus tranſvectos*, extra controverſiam eſt. Conſtat & Wilibrordum huc poſtea ex Anglia vectũ, maioribus noſtris Chriſtianam veritatem annunciaſſe, non alio, quam quo tum Angli utebantur, ſermone. Brittones quoque, *ut in Galliæ Armoricæ* locis *maritimis*, ita in his noſtris paludibus refugium habuiſſe, à vero non abhorret. Francos autẽ affectaſſe quidem gloriam prolati hucuſque imperii, cęterum reipſa non imperaſſe inſulæ, aut certe non infra Traiectum,

jectum, Auſtraſiæ regni, ut quidam tradiderunt, terminum, ad libertatem maritimorum Batavorum maxime pertinet: quos proinde credibile eſt, auctos aliarum atque aliarum ſubinde nationum ſupplementis: Francis autem conciliatos cõmuni Normannorum metu & arcto junctos fœdere, ſub regibus ſuis ducibuſque veterem Rempublicam ad ipſa Comitum tempora produxiſſe. ad quæ nunc nôbis veniendum eſt.

Cap. V.

Quæ Batavorum, hoc eſt, Hollandorum Reſpublica fuerit Comitum tempore.

De Comitatus inſtitutione, omiſſis quæ alii, nulla niſi rumorũ & quidẽ ſerius ortorum auctoritate, tradiderunt, male fulta monumentis ſemet refellenti-

lentibus, ea dicam, quæ & ad rẽ pertinent, & vera eſſe non vanis argumentis mihi perſuadeo. Igitur ante Diderici; qui primus Comitum Hollandiæ numeratur, tempora, multi in Hollandia principes fuere, nõ quidem gentis totius, ſed qui parti alicui imperarent; quales iam olim Cæſar & Tacitus *deſcripſerant.* Ii principes, *vocabulo in Germanicis* legibus ſæpe obvio, *Gravij* aut *Graviones* dicebantur. quod nihil aliud quam iudices ſignificat: unde *Dijcgravios* nunc etiam iudices ſive prætores aggerũ appellamus. Et quidem recte ita dicti, quia principum munus præcipuum erat, ut ſupra oſtendimus, ius reddere. Hos *Gravios* ſive iudices cur ii, qui ætate barbara Latine loquebantur, *Comites* appellaverint, niſi forte quia æqualis erant inter ſe dignitatis, non multum cauſæ video. Hinc ipſæ

ipſæ ditiones, *Pagi* olim, *Comitatus* dici cœpere. ita in Zelandia Walachria Comitatus: ubi autē nunc Hollandia eſt, Moſilandia, Kinhemum, Texela, ſinguli Comitatus fuere. idque hiſtoriæ & monumenta diſerte loquuntur. Ita Waſſenariorum proavi ante Didericum Burggravii fuere, hoc eſt judices arcis eius, quæ in locum urbis Lugduni Batavorum à Normannis, ut credibile eſt, diruti ſucceſſerat, ſimulque agri adjacentis: quibus etiam vectigalia, velut amnis Rheni cuſtodibus, ſolvebantur, quæ in hunc diem penes poſteros eorum manent. Erant & oppida eo tempore his in partibus: atque adeo Fladirtingam & Rineſburgum munitiſſimas Friſiæ urbes Aſcafnaburgenſis vocat: quibus adiungi poteſt Vronla regionis ſeptentrionalis quondam caput. Dordrechto quoq; & Harlemo

non

non minima antiquitas. Hi ergo proceres, quos dixi, harumque urbium magiſtratus, cum viderent imminere ſibi quotidianos hoſtes Normannos, ſolito etiam ſæviores ob ſuſceptam nuper à Batavis noſtris religionem Chriſtianam, in medium conſuluere, ut credibile eſt, quomodo non, ut hactenus, tutos haberent receptus adverſus illorum injurias, verum & in præſens & poſterum tam feris inſeſſoribus patriam liberarent. Ad eam rem cum temporaria ducum imperia non ſufficerent, placuit majorum exemplo, qui reges habuerant ſalva libertate, Principem unum toti Reipublicæ corpori præficere, cui tamen non regum nomen, quod jam ferme non niſi in ſumma ac libera poteſtate uſurpabatur, ſed ſolitum atque conſuetũ Gravii, hoc eſt, Judicis impoſuerere: hoc tamen diſcrimine,

quod

quod hic iudex non cum additamento pagi alicuius, ſed ſimpliciter, utpote ipſorum quoque iudicum iudex, appellaretur. Ad hoc autem imperium dilectus non dubie qui nobilitate atque opibus cæteris principibus præſtabat. Didericus is fuit, qui Friſius in monumentis vetuſtioribus dicitur. Friſio autem nomine ſignificatos Batavos maritimos, iam ante explicavimus: & ille Aſcaſnaburgenſis locus de urbibus non obſcure id ipſum indicat. Janus autē Douſa Nordovix pater, vir ut nobilitate inter ſuos, ita doctrina apud omnes clariſſimus, iis ſcriptis quibus beneficio æterno ſibi patriā devinxit, clare oſtendit huic Diderico fratrē fuiſſe Walgarium: eidem autem Walgario & Diderico patrem Gerolſum, qui Friſionum Comes à Reginone, fideliſſimo rerū Francicarum ſcriptore,

ptore, dicitur. Fuit ergo Comes Didericus jam ante, & Comitis filius; ſed Comes pagi, hoc eſt, religionis alicuius, non autem integræ gentis. qui honos ipſi primo conceſſus, procerum & oppidanorum, ut credi æquum eſt, faventibus ſtudiis. Et cum in Traiectinis tabulariis mentio fiat pagi, *ſiti in auſtrali regione, cui nomen Hollandia*, a vero forte non abeat, hunc ipſum pagum fuiſſe avitum Diderici Comitatum: in cuius vocabuli conſortium mox totum hoc eidem principi creditum corpus imperii venerit, ut hi, qui cis Flævum erant, Friſii propria quadam appellatione à maioribus Friſiis trans Flævum colentibus diſtinguerentur. Pars tamen Flævo propior veteri nomine nunc quoque Weſt-Friſia, hoc eſt, occidentalis Friſia vocatur, quæ cum Hollandia unam Rempu-

E blicam

blicam facit. His ea congruunt, quæ Hollandiæ Ordines dixere in nobili controverſia, quæ coram Carolo Quinto Cæſare & Belgarum principe inter ipſos & Brabantos diſceptata eſt. Cum enim Brabanti dicerent à Carolo IV. Imperatore conceſſum ſibi privilegium, ne quo extra patriæ fines in ius vocari poſſent, eoque contenderent, Hollandis quoque non licere in Brabantos manum injicere, ut mos habet Hollandicus: Ordines Hollandiæ contra demonſtrarunt, id privilegium ad ſe minime pertinere. quippe ſe & Comites ſuos ſummam poteſtatem nulli quicquā debentem, & omnis generis iuriſdictionem habere antiquitus, ex quo Didericus primus terram nulli regno obnoxiam barbarorum ereptam manu recuperaſſet. Eoſdem Comites ab omni ævo pari poteſtate fuiſſe in Comitatu ſuo,

ſuo, qua eſſent Imperatores in Germania aut Italia. neque vero obſtrictos ullo feudi vinculo, quod & ex mulierum ſucceſſione in principatum collegi, & eo quod principes ipſi magnas Comitatus ſui partes; Vornã, Herculanam, Puttenam aliis in feudum dediſſent, & quidem hæreditarium, nullius externæ poteſtatis accedente *aſſenſu. Multo vero minus* imperii Germanici *leges*, quantumvis conſcriptas verbis generalibus, unquam in Hollandia publicatis, aut ulla in parte iis ipſis legibus obtemperatum. quod & recente exemplo probabant. Cum enim Germani multa de ſucceſſionibus ab inteſtato caviſſent, quæ etiam contrarios mores abrogarent, in Hollandia tamen hæreditates nõ alio jure, quam moribus avitis hodieque deferri. Sed neque cauſis aut Comitum aut Ordi-

num à Germanico ſenatum unquam diiudicatus. Quæ cum Ordines Hollandiæ dixiſſent, probaſſentque, pronuntiatum eſt privilegium Brabantis datum in Hollandia vim non habere. Philippus quoque Leidius, qui Wilelmo Bavarorum primo regente Hollandiam, de Republica librum conſcripſit, & principi ſuo dedicavit, cum ipſe apud Gallos jus civile profiteretur, eo in libro ſæpe repetit, Comitem Hollandiæ *Imperatorem eſſe ſuo in Comitatu.* Scimus quidem Imperatores Germanos, quale quid & de Francis modo ex Procopio attulimus, prę ſe ferre ſolere, tam Comites Hollandiæ, quam alios principes, etiam reges, vaſallos ſuos eſſe: quod etſi optinerent, non eo deſinerent Hollandi eſſe liberi, cum, ut Proculus egregie demonſtrat, nec clientes liberi eſſe deſinant, quia patronis dignitate

gnitate pares non ſunt; nec liber eo minus ſit populus ; in cuius fœdere comprehenſum ſit, ut maieſtatem alterius comiter obſervet, dummodo alterius poteſtati ſe nõ ſubiicerit: unde & feudi liberi orta eſt appellatio. Verum enimvero ne hoc quidem qualecunque feudi vinculũ Comites agnovere, ut & ex his, quæ modo diximus, apparet & ex hiſtoria bellorum, quæ primi Comites, & nominatim Didericus quartus pro tuenda dignitate cõtra Imperatores proſpera ſatis fortuna geſſere. Quod ſi qui adducti neceſſitate temporum, aut propriis de cauſis Imperatoribus obnoxii, eorum patrocinium invocaverunt, id tamẽ ipſum, præcipue Ordinibus factum non cõſentientibus, nec Reipublicę, nec poſterorum principum ius deterius potuit efficere. Burgundos certe & Auſtriacos principes,

quorum certior memoria eſt, compertum ſatis habemus Cæſaribus fidem pro Hollandia non dediſſe. Legibus autem iudiciisque Cæſarum & Imperii, quod præcipuum eſt, ſubiectā non eſſe Hollandiam, Germani etiam ipſi confitentur. Ex his cum manifeſtum ſit, ſummam poteſtatem in Batavos totam intra ipſos fuiſſe, non autem ab externo pependiſſe imperio, nunc alterum reſtat videndum, quæ in ipſa Republica Principis, quæ Ordinum partes fuerint. quod exacte ſciremus, ſi leges imperii Diderico dati exſtarent. ſed cum illud ſupra dictum eſt, ſero demum apud gentes Germanicas res & privatas & publicas ſcripto mandari cœpiſſe, tum vero illorum temporum omnis memoria, præter bella quædā & alia huc non pertinentia, intercidit. Verumtamen cum & ante hæc tempora

regi-

regibus Batavis non tam poteſtas conceſſa fuerit, quam auctoritas, & parentum quoque noſtrorum memoria ſcriptores etiam externi conſignatum reliquerint, principum imperia his in regionibus tum legibus definiri, tum Ordinum conſultis temperari; certa eſt coniectura, medio tempore eam fuiſſe Rempublicam, quæ & à *maioribus accepta*, & *mox poſteris relicta eſt.* præſertim cum & urbes validas & cives nobiles opibus valentes, quos id ævi fuiſſe demonſtravimus, ex ſueta æqualitate in ſubitam inæqualitatem voluiſſe decidere, creditu ſit difficile; ac contra, aucta per connexionem principatum ſequentium Comitum magnitudine, ſub Burgundica maxime & Auſtriaca domo detritum plus ſit libertati, quam additum. Leges igitur imperii præcipuæ hæ fuerunt.

Ne maritum ſibi accipiat femina princeps, niſi Ordinum Hollandiæ arbitratu.

Ne munera Senatoria, Quæſtoria, Prætoria alijs quam indigenis mandentur.

Vt jus ſit Ordinibus in concilium coire quoties & ubicunque voluerint, nec opus habeant eam ad rem principis venia.

Nova vectigalia ne qua imponantur, neu cui vectigalium detur immunitas, niſi Ordines auctores fuerint.

Bellum ſuſcipere pro rebus tutandis aut perſequendis iniurijs principi ne liceat, niſi Ordinum arbitrio.

Principes in literis Germanico ſermone utantur.

Monetam Princeps cudat, & mutet, prout Ordines è re eſſe judicaverint.

Ne quam principatus partem Princeps à ſe poſſit abdicare.

Ne

Ne Ordinum concilium extra fines evocare liceat.

Princeps ſi quo tributo aut collecta opus habeat, ipſe ab Ordinibus exoret. per legatum id ne agat. onera, niſi ſponte conceſſa, ne exigat.

Iurisdictio niſi per ordinarios judices ne exerceatur.

Mores antiqui legesque ſancta ſint. eas contra ſi quid princeps decreverit, nemo decreto teneatur.

Hæc jura uſu diu ſolo ſervata, poſtea ne pravis adulantium artibus ingenia principum in ſpem illegitimi dominatus corrumperentur, per partes primum conſcripta & à principibus ſignata; tandem, querentibus Ordinibus multa veteris Reipublicæ fundamenta per deſuetudinem ſubverti tum ab aliis, tum maxime à Maria Burgundica, in unum collecta corpus & perpetuæ me-

morię conſecrata ſunt. Quanquã autem Hollandi in ſucceſſione principatus ordinem ſanguinis ſequebantur: tamen ut oſtenderent non ex paterna hæreditate, ſed ex populi, hoc eſt, Ordinum conſenſu proficiſci imperium, non prius principis loco quemquam juramento ſe obſtrinxiſſet Ordinibus, leges ſe patrias moreſque ſervaturum. quo facto viciſſim ipſi ex legibus imperaturo fides &. obedientia repromittebatur. Quare cum hæ leges conditiones ſint additæ poteſtati, planum eſt, nullam fuiſſe principi poteſtatem, qua ſe iſtis legibus ſolveret: ut ab iis, qui de Republica ſcripſerunt, abunde traditum eſt. Unde & illud ſequitur, cum ſumma maieſtas non ſit penes eum, qui iure aliquo conſtituto teneatur, uti ad ſeptentrionẽ plerique principes, Comitem quoque Hollandiæ, qui

qui tot legibus teneretur, ius ſummæ maieſtatis in ſe uno non habuiſſe. Quæ autem de poteſtate Ordinum ex legum verbis *attulimus*, eadem ipſa aliaque nō minora vetuſtiſſimis exemplis probantur. Arnulfo enim Principum tertio cū filii eſſent duo, Sifridus, qui & Sicco dicitur, *natu maior, ob culpam neſcio quā abdicatus imperio, Diderico autem minori* delatus Ordinum conſenſu principatus. Diderico autem quarto ſine liberis mortuo, cum fraternæ ſucceſſionis nondum exſtaret exemplum, fratrem defuncti Florentium Ordines Principem *dixere. Diderici* mox eius nominis quinti, per ætatem Reipublicæ capeſſendæ imparem, tutelam Ordines matri Gertrudi dedere: eamque in matrimonium collocarunt Roberto Flandrię Comitis filio, qui quod Hollandos regeret, qui

Friſii

Friſii dici nōdum deſierant; inde Friſium cognomen accepit. Ada autem Diderici ſeptimi filia cum invitis Ordinibus Comiti Loſſenſi nupſiſſet; deiecta eſt principatu; inque eius locum ſubrogatus Wilelmus Diderici frater. Florentio autem quarto adoleſcenti tutor datus patruus & ipſe Florentius nomine. quo mortuo cum amita Aleidis non ex conſilio Ordinum tutelā, ſed arbitrio ſuo adminiſtraret; Othoni Geldriæ Comiti, qui remoto ſanguinis gradu pupillum cōtingebat, traditū regimen. Mox per mortem Florentii quinti vacante principatu, Nobiles & oppidani per ſe Rempublicam adminiſtrarunt, donec abſens filius Johannes ex Anglia advenit, cuius cura conſanguineo Johanni Avenienſi permittitur. Margarita deinde, cum principatui minus idonea, videretur, ipſa imperio demota; ſed

ſed filius Wilelmus Comes eſt renunciatus, quo per morbum animi minus cõpote, Adelberti fratris curæ Reſpublica cõmendata eſt: ſed ita, ut eam ex Baronum, Baronibus ortorum, Equitum, Scutiferorumque (gradus hi ſunt nobilitatis) & bonarum urbium conſilio adminiſtraret. Wilelmus vero Adelberti filius cum ſine maſculi ſexus liberis ſe moriturum provideret, convocato Nobilium & oppidorum omnium conventu, poſtulavit impetravitque, ut ſucceſſio principatus Jacobæ filię addiceretur: quæ tamen cum per inconſultam matrimoniorum licentiam minus ſe dignam reddidiſſet imperio, viva ſe etiamnum & ſuperſtite ad Philippum Burgundum transferri Hollandiam vidit. Hujus Philippi neptem Mariam cũ Maximilianus Auſtriacus duxiſſet, & mortua uxore retineret impe-

imperium, neque id, ut Philippi ſecundi filii ſui tutor, ex Ordinũ ſententia gereret, ſed regio magis more, Ordines tũ Hollandię, tum vicinarum nationum, fortiter obſtitere. Carolo etiam poſtea Imperatori eius nominis quinto, cum adoleſcens ad principatũ veniſſet, tutores ab Ordinibus nationũ impoſiti. Idem eiurato principatu in Ordinum concilio, filium ſuum Philippum Ordinũ fidei commendavit. Hæc ſigna ſunt, imperium principale, ut ab Ordinibus profectum, ita quoties Princeps defecerat, ad ipſos rediiſſe. Jam vero principum veterum acta nulla alicuius certe momenti reperias, quibus non Baronum ac Nobilium auctoritas & ſubſcriptiones acceſſerint. id enim Comitibus, ut regibus Germanis olim, antiquiſſimum conſilium fuit. Ad urbes vero quod attinet, earum numerus &

cum

cum numero dignitas ſemper longius excrevit. Antiquitus ſenatus ſingulis.is mortuo ſenatore locum ipſe ſupplet, ex his qui inter oppidanos virtute atque opibus præcellunt. Idem ſenatus alibi magiſtratuum præcipuos creat, quos civium magiſtros vocant: alibi & hos ipſos & alios litibus *judicandis*, qui Scabini antiquiſſimo vocabulo appellantur, principi deligendos offert, ſed ita ad duplũ numerum præſcribant, quem princeps non poſſit excedere. quod non minimum eſt libertatis munimentũ. Neque vero maiores tantum urbes, ut poſtremis temporibus factitari cœpit, ſed vero & minores in concilium vocatas, plurimis exemplis apparet. Philippus, quem dixi, Leidius & nobilium & oppidanorum magiſtratuum ſæpe meminit: eoſque *maiores patriæ* vocat, & curaſſe ait, negligente

gente principe, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Invenio & tẽporibus Wilelmi quarti è domo Hannoniorum poſtremi Dordrechti concilium fuiſſe coactum trium nationum, Hollandiæ, Zelandiæ, Hannoniæ; eo oppidorum legatos frequentes conveniſſe vectigalium cauſa. Id vero concilium ſummum quoq; ſenatum appellari. Tributa autẽ nulla unquam indicta fuiſſe ſine Ordinum decreto; rationes publicæ loquuntur, in quorum capite decreta ſemper apparent. atque inde tributorum & collectarum nomen apud nos antiquum perpetuoq; ſervatum eſt Preces, quod & apud Philippũ Leidium ſæpe invenias: quia, uti diximus, ad preces principum ab Ordinibus decernebantur, magno argumento auctoritati Ordinum ſubmiſſi principatus. Quin & Philippo Comitum poſtremo bellum

bellum in Gallos gerenti oratam indictionem novennalem non aliter Ordines annuerunt, niſi præſcriptis quibuſdam legibus, atque inter alias, ut per homines ab Ordinibus delegatos pecunia tractaretur. Sicut & jus ſuo arbitrio coëundi ad extrema uſque tempora, quæ bellum hoc anteceſſerunt, Ordines retinuiſſe in aperto eſt. *Ex his quæ diximus apparet*, Comites Hollandiæ *nihil ferme* diſcrepaſſe ab antiquis regibus. nomine tantum uſos minus invidioſo, minuſque ſuſpecto libertati. ſumptos ſane ſanguinis ordine, ut in multis populis liberis: ſed *imperium non ſine* exceptionibus datum. quippe leges additas, ac juramento ſacratas: & auctoritatem quidem Comitum non exiguam, Ordinum vero tum in rebus aliis, tum circa pecuniam maxime, qui nervus eſt Reipublicæ, eam fuiſ-

ſe poteſtatem, ut vere dici poſſit de Comitibus, quod olim de Germanorum regibus, precario eos imperaſſe. Quod ſi & externum exemplum quæritur, nuſquam ſimilius quam in Laconum Republica invenio, quæ & Platonis Polybii & ſapientum multorum, ipſius quoque Apollinis, ut creditur, teſtimonio præ cæteris laudata eſt: In hac enim reges quidem ſuccedebant alter alteri ſanguinis ordine, ita ut pro pueris regibus tutores, quos Prodicos vocabant, fiduciario imperio fungerentur: ſed reges ad imperium non admittebantur, niſi prius ex patriis legibus ſe imperaturos juraſſent. eratque regibus poteſtas in ſingulos: in reges Ephoris & Senatui. Laudatur ab antiquis Theopompi regis Spartani dictum memorabile: qui exprobanti uxori, quod inſtituto Ephororum magiſtratu

maie-

maieſtatem ipſe ſuam minuiſſet, reſpondit, minus ſe liberis imperium relinquere, ſed diuturnius. Veriſſimum enim eſt, quod veteres dixere, Rempublicam omnem certo concentu teneri, eoque diſſoluto corrumpi: quem ego concentum non fidium ac ſonorum, ſed vero principis cum populo, populi cum principe, atque Ordinū inter ſe bene temperatam concordiam interpretor. Hoc concentu & principes Hollandi & nobiles & plebs diu floruere, dum principem ſinguli reverebantur, princeps ipſe leges & publicos conventus, dum nobilitati ſuus honos, plebi ſua libertas manebat. Hinc bellorum proſperi exitus hinc ut olim Romana ſocietate, ita ſub Comitibus gens nō magna magnis amicitiis ambiebatur. docent federa: docent affinitates. Statim naſcente principatu Diderici duo

Regum Francorum, ut creditur, generi. Arnulpho Comitum tertio coniunx Conſtantinopolitani Imperatoris filia, cuius ſoror Germaniæ Imperatori nupſerat. aliquot ſequentibus ex domo Saxonica, Imperii tum compote, uxores: At Florentio tertio è Scotiæ regno matrimonium. Wilelmus autem eo nomine ſecundus Hollandiæ Comes ad Germaniæ Imperium ipſe vocatus eſt, non alia, ut credo, magis de cauſa, quam quia principatui moderato domi aſſueverat. Eius filium Florentium quartum hinc Rex Angliæ, inde Galliæ, certatim ſollicita vere, federa & coniugia liberorum cum donis offerendo. Sed filius Johannes procerum conſilio Angliæ regis duxit filiam: mox Galliæ, Wilelmus ſextus. Viciſſim Comitum filiæ magnas in domos collocatę: ut Margareta Wilelmi quarti

in

in domum Bavaram Cæſari nupta, Jacoba Galliæ Delphino. Et hactenus nihil aliud, quam Hollandiæ & Zelandię, pars & Hanoniæ principes. Inde per Comitis Adelberti filiam Burgundo nuptam eoſdem accepit principes Hollandia, quos iam Brabantia, Flandria, pluresque populi habebant. ita gentes moribus atque inſtitutis non diſſimiles communi imperio pacatæ munitæque. Maria mox Burgundica ex marito Auſtriaco filium habuit, cui pleraque Hiſpaniæ in dotem ceſſerunt: & cum Hiſpania, ſpes novi orbis, fuſique per vaga terrarum ſpatia regnorum tituli. Sed hanc principum magnitudinem ingens in Republica mutatio conſecuta eſt, quam breviter indicabo.

Cap. VI.

Quomodo tentata Reipublicæ mutatio cauſam bello dederit.

HUmanũ ingenium præceps eſt ad dominationem, unde naſci plerumque tyrannides ait Ariſtoteles, ubi principes patriarum legum ſepta tranſiliunt. Vix autem quis deſinit plus velle poſſe, quam poteſt, niſi id ſe, quod vult, efficere poſſe deſperet. Itaque priſci principes, quibus in patria ſpes omnis, nulla externa uis aderat, præbebant ſe legum reverentes, amantes æqui, obſervantes Ordinum, ut quorum opibus dignitatem ſuam niti intelligerent. Primi Burgundi regia orti domo gradum quidem, ſed latenter, ad dominationem fecere, manente & tota imagine, & vi quoque magna libertatis. Carolus mox, Rex alibi & Imperator,

rator, minus hic patienter principem agebat: ſed & affectu retinebatur, natus his in partibus eductuſque, & norat æſtimare gentes, optimum inſtrumentum magna conanti, fidasque per ſe, cæterum ſi libertas attentaretur, irritabiles & validas. Attamen Edicta ſcripſit ſanguinantia, & cum gravibus erroribus oppreſſa Eccleſia *medicinam poſceret*, ille *vi tuendum ratus*, quidquid receptum erat, in aliter ſentientes pœnas conſtituit capitales, non exquiſita ad rem tantam Ordinum ſententia. At Philippo eius filio ingenium nulla niſi liberrima poteſtate contentum: eo oderat gentes, quę leges principi ponerent, quod & Arragones non ita dudum malo ſuo didicere. Sed præcipue Hiſpani, apud quos Philippus ab infantia egerat, arripere hanc occaſionem adverſum Batavos Belgasque,

que, cum quibus de gratia apud principes hactenus cōtenderant: horum libertatem in invidiam vocare: contra oſtendere Italiæ urbes, & Americæ terras ſuis præſidiis ita teneri, ut ſine exceptione parerent. Confecto igitur bello Gallico, cum moneretur Ordinum nomine, ut Hiſpanorum præſidia finibus deduceret, æquam poſtulationem indignabundus excepit. Et in Hiſpaniam ipſe avectus ab eo tempore non ex procerum indigenarum conſilio, è quibus more maiorum ſummus idemque perpetuus harum regionum Senatus conſtabat, ſed compoſitis in Hiſpania decretis, pleraque Reipublicæ apud Batavos & Belgas ordinabat. relicto hic Granvellano, Hiſpanicorum juſſuum adminiſtro. Jam res religionis eo venerant, ut etiāſi crimen fuiſſet diſſentire à Romano Pontifice, tamen id punien-

puniendum nõ eſſet bono principi, ob immenſam reorum multitudinẽ, quorum animis evelli qualiſcunq; perſuaſio nullo terrore poterat. Hanc ob cauſam cum & proceres & claræ civitates demõſtrarent, nec commercia, nec quietem publicam retineri poſſe, niſi Edicta ſuper religione mitigarentur, tantũ abeſt ut *Philippus conſilio obtemperaverit*, ut contra *inquiri* voluerit *in* intimos hominum ſenſus, novo inſtituto cognoſcendi ordine, qualis in Hiſpania in Judæos ac Mahumetiſtas ſub Chriſtianiſmo latentes exerceri ſolet. In eam rem diſpoſiti & Epiſcopatus paſſim novi, retinentibus Ordinibus, ſine quorum permiſſu antiquitus ſacerdotia augeri non poterant. Hæc cum ad perturbandam Rempublicam non dubie pertinerent, & proceres primum, qui in ſenatu erant, de-

inde magna nobilium multitudo in hoc congregata, in quibus erat Brederodius Hollãdię principum ortus ſanguine, ſuaderent atque orarent ad id remedium veniri, quod olim in rebus multo minoribus ſolitum eſſet uſurpari, concilium ſcilicet ex omnium nationum Ordinibus, Philippus, ſicuti abſcedens deſtricte vetuerat tale concilium haberi, ita & tum vetare non deſtitit. Orto deinde tumultu, non publico ullo conſilio, ſed per audaciam paucorum ex infimo vulgo, ad tollendas è templis imagines, in quarum cultu non parum hactenus peccatum erat, eodemque mox procerum auctoritate cõpoſito, Hiſpanis ac Philippo placuit, arrepto obtentu ex privata temeritate, contra ius & æquum, publicum populis rebellionis crimen intendere. Ergo ad invadendam dominationem

nem Albanus mittitur, cum mandatis immitibus, vir immitis ingenii: (novit Germania:) qui palam profitebatur Ordinibus, civitatibus: univerſis denique nationibus, & hominibus ſingulis, amiſſa jura omnia, nec alias poſthac leges, quam imperia regis fore. Ipſe certiſſimum cõculcatarum legum ſpecimen, homo externus, nec ſanguine principem attingens, contra mores juraq; omnia miſſus in ſummam præfecturam. Judicia quoque legitimis atque ordinariis conſeſſibus erepta. erectoq; novo auditorio, ubi læſæ Maieſtatis cauſæ diſceptarentur, hoc ſub nomine ſubiecta ſibi capita & fortunas civium accepere homines Hiſpani & Hiſpanis ſervientes. Nec tantum è plebe multa millia: ſed procerum primi Egmondus & Hornanus falſis criminibus dãnari à non ſuo judice cervi-

cervices carnifici præbuerunt. Wilelmus Naſſavius Araüſionenſis, inter proceres & ipſe, cum multis aliis actus in exſilium. quorum Egmondus in Hollandia Comitatum habebat: Arauſionenſis Hollandiæ præſes fuerat. Bergenſis & Montigniacus, qui preces populi atque primorum in Hiſpaniam pertulerant, alter ſupplicio affectus, alter veneno, ut conſtans fama eſt, interemtus. Tum more dominantium impoſita urbibus præſidia Hiſpanorum, aut arces. Inſuper, ut liberæ hactenus gentes ſervitutem ſuam perpetuo & faterentur, & paſcerent, quas ante principes coram ipſi ob minima etiam tributa precibus ambire cõſueverant, his tum rerum ſoli viceſima, mobilium decima in alienationes ſingulas per vim minaſq; legati indicitur. Certavit quidem diu populorum fides

cum

cum libertate. ſed cum violatis palam legibus, contemptis Ordinibus, illa tot ſæculorum Reſpublica & poſterorum libertas ſalva diutius eſſe non poſſet, Ordines Hollandiæ, ad quos & legum & iuris ſui atque publici tutela ſpectabat, an. cIↄ Iↄ LXXII, XIX. Julii die, inſtituto Dordraci nobilium & ex urbibus pleriſque *legatorum conventu, maiorum ſecuti exemplum*, qui in Romanos dominationem cæptantes arma ſuſceperant, bellum contra Albanum decernunt: exſules per iniuriam pulſos reſtituunt: Wilelmum Arauſionenſem ducem agnoſcunt.

CAP. VII.

Quæ in bello fuerit, poſt bellum ſit Batavorum Reſpublica.

EX eo tempore ſumma Ordinum poteſtas, quam poſtremorum

morum principum licentia non parum obſcuraverat, luci reddita palam effulſit. Et poſtquam cum Hollandis aliarum quoque nationum Ordines pro libertate armatæ in ſocietatem arctiſſimã convenerant, neque Philippum, cuius honori hactenus parcebatur, aut preces aut monita ad mentem ſaniorem revocare potuerant, tandem xxvi. Julii die, anno cIↄ Iↄ lxxxi fœderatorum populorum Ordines pronuntiarunt Philippum ob violatas imperii leges ipſo jure principatu excidiſſe. quomodo ſcilicet multæ liberæ gentes ſæpe principes ſuos, ut Lacones Pauſaniam, Romani Neronẽ, Veneti Falerium, Dani Chriſtiernum, damnaverant. Neque tamen optimates ſine principatu Rempublicam geſſere. ſed ut olim regibus duces ſucceſſerant, ita tunc ſublato Comitis nomine legitimum imperium

periumAraufionenſis acceperat, Præfecti vocabulo. cuius admirabilis cum Ordinibus concordia, dum & ipſe illorum cedit poteſtati, illi viciſſim ipſum & amant & reverentur ut parentem publicum, rem Batavam è parvis initiis ad maxima incrementa pervexit. Quare & cum vicinæ nationes *Matthiam* ſibi *Auſtriacum*, mox *Senatum*, deinde *Andinum* ducē præponerent, Hollandiæ & Zelandiæ Ordines fedus quidem cum illis ſancte coluere, cæterum nullam paſſi mutationem ſuam ſibi; eandemque ſemper non Rempublicam modo, ſed & Reipublicæ faciem retinuere. Mortuo Arauſionenſi præfectura delata Liceſtrio, qui Anglorū auxilia adduxerat: ſed cum is regios gerens ſpiritus, moris noſtri ignarus, & pravis conſultoribus obſequens, regimen Ordinum obtrectare, res novas

novas moliri cœpiſſet, Ordines ſuam poteſtatem, à qua & Liceſtrius mandatum accepiſſet imperium, juſtiſſimam ſimul & antiquiſſimam demonſtrant: eos vero qui in ipſius gratiam per ſeditionem res novare inſtituerāt, capite plectunt. Quibus cum intellectis Liceſtrius ipſe fuga imperium deſeruiſſet, Mauritius, Wilelmi Arauſionenſis filius, Hollandiæ viciniſque regionibus pręficitur. Hoc præſide mira iterum concordia: vigintique per annos quieta Reſpublica, prolati fines, depulſi exercitus, proſpera prælia, obſidiones illatæ fortiter, fortius toleratæ, Ordinibus ſapientiſſimorum procerum, & Mauritio ducum maximi famam addiderunt. Auctus Reipublicæ honos, cum eam reges per federa ſibi æquavere: quippe anno XCVII. ſocietas facta inter Regem Gallię, Reginam Angliæ

Angliæ & Federatarum nationum Ordines. Et tamen modeſtia adverſus principem quamvis abdicatum fuit, ut *Philippo* ſuperſtite intra ſe tuendi neceſſitatē virtus conſtiterit. quo mortuo indictū publice, repoſitumque Hiſpaniæ quod miſerat bellum, & ad ultimas Indorum terras *cincta armis commercia navigavere. ibi quoque communis hoſtis, & inclyta Batavorum virtus ac fides regum & populorum federa meruit: ſalūtatique Ordines alio tam procul cælo venientibus legatis.* Et hactenus pugnatum. De pace actum ſæpe tum Philippo Rege *vivente*, tum poſt ejus mortē Belgis ad filiam generumque tranſlatis. ſed repudiatæ ab Ordinibus conditiones omnes, quibus non ſalva eſſet libertas & jus decreti, quo Philippo imperium abjudicaverant: Romanorum vetere exemplo,

quibus, ut pulſos Tarquinios reciperent, nulla pax tanti fuit. Tandem cum Archiduces Albertus & Iſabella & ipſe Rex Philippus Philippi filius, paratos ſe oſtenderent Ordinum libertatem agnoſcere, mediis Regum Galliæ, Angliæ, Daniæ, præterea aliorum principum legatis, cœpta colloquia: & cum pacē difficultates magnæ morarentur, ad ultimum, anno cIↃ IↃ cix, factæ in duodecim annos induciæ; præpoſita teſtatione ab Archiducibus tum ſuo, tum Philippi, à quo id mandati acceperant, nomine, qua ſe paciſci eas inducias cum Ordinibus Fœderatis, ut cum liberarum nationum ac civitatum Ordinibus, profitebantur, taleſque eos à ſe haberi, & nihil à ſe in ipſos juris obtendi. Philippus pacta rata habuit, repetita eadem profeſſione, Brevis hæc narratio, capto ante C.

Cæſa-

Cæſarem initio, in hoc tempus deſinens, oſtendit, per annos plures mille ſeptingentis Batavos eadem uſos Republica, cuius ſumma poteſtas penes Ordines fuerit, & ſit etiamnum: ſic tamen ut principatus acceſſerit modo maiori, modo minori cum procuratione, quondam ſucceſſione delatus, ſæpe olim & nunc quoque ſuffragiis, ſemper autem ſub legibus. Et hic quidem vultus imperii. membra, ſi quis propius noſſe deſideret, ita ſe habent. Hollandia vicis & urbibus frequentiſſime habitatur. Urbium cura penes cuiusque ſenatum & magiſtratus, quibus conceſſum intra ſuum territorium & leges quasdam condere, & ad urbis neceſſitates onera imponere. Senatores perpetui: magiſtratus annui, nullo aut exiguo ſalario. Magiſtratuum maiorum, civium quidem magiſtri jura plebis &

 urbis

BIBL. LYON

urbis ſtatum defendunt: judiciis ſcabini præſunt, tum pecuniariis, tum etiam capitalibus, accuſatorum publico munere, non ſine imperio quodam fungentibus his, quos Balivos & Scultetos dicimus. Iurisconſulti magiſtratibus aſſident. Vicorum duplex jurisdictio, maior minorque, partim penes Rempublicam eſt ſive Comitatum, partim penes nobilitatis præcipuos, qui eam à majoribus accepere. Minor per Scultetum & Scabinos: maior per Balivum & Feudorum poſſeſſores, aut agros colentium potiſſimos, quos benenatos vocāt, expediri ſolet. Sunt & propriæ cognitiones ſilvarum & venationum, penes Saltuarium eiusque ſodales: aggerum vero, quibus Hollandiæ ſalus maxime cōtinetur, penes Dijcgravium, hoc eſt aggerum Comitem & Heimradios. Ab horum omnium ſententiis,

tentiis, niſi quod rerum capitalium damnatis appellare vix conceditur, ad Curam Hollandiæ provocatio eſt, quam & Zelandia agnoſcit. Ipſæ quoque urbium controverſiæ, aliaque magni momenti hic diſceptantur. In hac ſedent vetere inſtituto viri nobiles, tum alii legum ac morum periti. Horum caput eſt ipſe *præfectus Hollandiæ : cui præterea præſidiis imperare, magiſtratus urbanos è nominatis eligere,* & criminum pœnas remittere conceſſum : quæ ſigna ſunt eminentiſſimæ auctoritatis. Eſt & collegium Rationalium, qui res fiſci, *quæſtorum miniſterio*, regunt. Ordinum conventus, penes quem ſumma eſt Hollandiæ poteſtas, ter quaterve anno, aut quoties res poſcit, indicitur; Nobilium ordinem referunt generis ſplendore & vicorum ditione præcipui, numero ferme

duodecim. quorũ ubi quis mortuus, alium ipſi cooptant. Urbes, quæ ad concilium legatos ſuos plerumque mittere ſolent, hæ ſunt: Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amſtelodamum, Gouda, Roterodamum, Gorichemũ, Scidamũ, Schoonhovia, Brila, Alcmaria, Horna, Enchuſa, Edamum, Monachodamum, Medemelaca, Purmerenda. Legati plerumque ſunt civium magiſtri. accedit ſæpe è ſenatu urbis aliquis, aut adſeſſor juriſperitus. Sententiam primo loco dicit nobilitas: deinde urbes ſuo quæque loco. Omnia hæc eadem & nunc ſunt, & Comitum temporibus fuere, niſi quod ea, quæ penes Comitem erat Reipublicæ procuratio, Ordinibus & Præfecto accrevit. Cæterum ab Hollandiæ Curia, quam dixi, Machlinienſe auditorium appellari ſolebat: quod

ut in commune ſibi ius diceret, rogatu principū Burgundorum, diverſarum nationum Ordines conſenſerat. Eius in locum anni iam ſunt viginti & octo, Hollandi & Zelandi novum conſeſſum virorum doctrina eminentium inſtituere, à quorum ſententiis nemo appellatur, ſupplicari tantum *Ordinibus* ſolet, ut lectos extra ordinem *judices ad collegium adjungant*, qui diligenter exquirant, recténe an per errorem ſit judicatum. Auctis cum bello & oneribus & negotiis, alius quoque conſeſſus inſtitutus, qui Hollandiæ ærarium regit, reſque eo ſpectantes diiudicat. Conſtat ex his, quos nobilitas & urbes pro ſe ſingulæ deligunt, ac ſubinde mutant. Hi & Ordinum conventum, quoties expedit, vocant, & Ordinibus decreta exſequuntur. Sub horum inſpectione alii quæſtorū ærarii

rationes examinant. Jam vero quia Traiectino fœdere belli, pacis, & externarum ſocietatum, multarumque præterea rerum, inſtituta eſt inter complures populos communio, quorum hodie perſtant in fœdere Geldri, Hollandi, Zelandi, Traiectini, Friſii, Tranſiſalani, Groningani, omnes olim Batavorum, Matriacorum ac Friſiorum dicti nomine, ſolent pro ſe quiſque legatos mittere, qui in medium conſulant. horum conventus raro diſſolvitur, eique Ordinum Fœderatorum nomen eſt. Hic & quæ inter populos ſunt controverſa diſceptari ſolent. Proxima his, horum mandatu, cura rerum fœderis, militiæque regimen penes Senatum eſt: hic in locum ſucceſſit eius Senatus, qui Comitum tempore toti Belgico-Germaniæ præſidebat. Senatores ſubinde alii, definito numero, ab

Ordi-

Ordinibus cuiuſque nationis eliguntur. at ſententiam non per nationes, ut in conventu, ſed viritim ferunt. Huius ſenatus principes ſunt nationum præfecti. Sunt præterea per Hollandiam, Zelandiam Friſiamque diſpoſita collegia eorum, qui maris & maritimorum vectigalium curam agunt. *mandata* habent ab Ordinibus *Federatis. nationes ſingulæ dilectos* eo mittunt. *hi* quoq; mutari ſolent. Maris præfecturam idem Mauritius nunc obtinet. Rationes quoque communis federatorum ærarii ſuos diſpunctores habent. Hæc civibus ſatis cognita, in externorum gratiam minutius paulo perſequuti ſumus, neque vero eos dubitamus, re bene inſpecta, non hanc Reipublicæ ſtructuram maxime probaturos. Nam ſive rationem adhibemus, optime imperium optimis credi ratio perſuadet:

ſuadet: ſive auctoritates reſpicimus, habet optimatium Reſpublica ſapientiſſimos veterũ laudatores: ſive exempla, nobiliſſima ſane ſuppetunt Creta, Lacedæmõ, Carthago, Rhodos, Maſſilia, Theſſalia, Achaia, Samos, Cnidos, Chios, Corcyra, &, ut multi crediderunt, ipſa cum maxime virtutibus floruit Roma. Quid quod Hebræorum quoque Rempublicam, qualis à Deo fuit inſtituta, antequam regnum populus depoſceret, optimatium conſilio adminiſtratam ſatis apparet? Nec recentia exempla deſunt, Epidaurus Illyrica, Luca, Geneva, Genua, Helvetiorum potiſſimæ civitates, & illæ, quæ mille annorum duratione ſtabilitatem ſuam probant, Venetiæ. Addere licet ipſum quoque majeſtatis omnis pleniſſimum Imperii Germanici corpus, & pleraque ad ſeptentrionem regna nomine,

mine, reipſa principatus. Quod ſi proprius comparationi libet inſiſtere, ſumma quidem concilii Ordinum poteſtas Galliæ & Britanniæ vetuſtiſſimis populis olim fuit uſurpata: in Germania etiam hodie manet. Quatenus vero per urbium legatos adminiſtratur imperium, optime nobis cum Achæis, Ætolis, Lyciis convenit, qui itidem compoſitas è diverſis urbibus civitates per cõcilium & legatos urbium texere: è quibus Achæi è Polybio, Strabone, Plutarcho proponuntur, ut optimum bene conſentientis Reipublicæ exemplar. Rurſum quod principatus legum fine circumſcriptus optimatium imperio adiungitur, id cum Hebræis veteribus Judicum ætate, cum Spartanis, cum illis ipſis Achæis, cum Venetiis, cum Imperio Germanico, cum regnis ad ſeptentrionem, quæ diximus, & plerìſque

que aliis, commune eſt. Ordinum autem Federatorum conventus cum ſenatu,per quos,ſalua cuiuſque populi maieſtate, ea quæ ex federe ſunt communia explicantur, Amphictyonico cōventui adamuſſim reſpondet,cujus nexu conſtrictæ Græcorum civitates Medos omnemque externam potentiam diu à ſe repulere. Sic Jonia XIII, Hetruria XII, Latium XLVIII civitatibus, ſic multi olim Germanorum, Gallorum, Britannorum populi ex federe commune concilium habuere: habentque nunc etiam Helvetii & Rhæti. Neque tamen hanc cum laudamus Reipublicæ formam, illis quicquam detractum volumus, qui alia utuntur. Fatendum enim eſt, non eadem omnibus convenire; multoſque eſſe populos,qui rectius poteſtati regiæ,quam libertati ſuæ committantur. Sic Aſiæ populis utile

fuit

fuit regnari: Græcia reges ferre non potuit. Hanc autem, quam dicimus, aptiſſimam eſſe nobis, perpetua tot ſæculorum experientia demonſtrat. ea dum manſit, tranquilla omnia. quoties contra itum eſt, orti motus & turbæ, nec ante ſanati, quam ſua imperio facies reſtituta eſt. Notant, qui gentium ingenia moreſque diverſos diligentius obſervarunt, populos ad ſeptentrionẽ vergentes, & maritimos maxime, in quibus nos ſumus, alienatores à ſingulari imperio, libertate magis affici. Sunt & qui tradunt, magna imperia à regibus, minima à populo non incommode regi: his autem nationibus, quæ mediocrem habent magnitudinem, & præſertim quæ ſua norint fortiter tueri, aliena non appetant, congruentiſſimam eſſe optimatium poteſtatem. Sed & conſuetudinis magna habenda

eſt

eſt ratio. Nam quod de legibus in univerſum proditum eſt, id maxime de illis legibus verũ eſt, quibus ſumma imperii continetur, melius eſſe non optimis uti, quam receptas mutare: cum legibus itidem ut plantis ad figendas radices longo temporis ſpatio opus ſit: quod ſi crebro transferas, vis atque robur omne evaneſcat. Multum igitur debemus majoribus noſtris, qui acceptam à primis conditoribus Rempublicam per ſe egregiam, noſtro vero ingenio noſtriſque ſtudiis aptiſſimam, pace ſervatam, bello recuperatam, nobis reliquere. Noſtrum autem eſt, ſi nec ingrati, nec imprudẽtes eſſe volumus, eam Rempublicam, conſtanter tueri, quam ratio ſuadet, probant experimenta, commendat antiquitas.

FINIS.

In præcedentem librum
NOTÆ.

CAP. I.

PAG. 17. Principatum voco eminentem unius auctoritatem, &c.] *Ioannes Bodinus de Republica lib.* 1. *cap.* 8. Principatus Ariſtocratiæ forma dicitur, in qua unus cæteris dignitate prior eſt.

Ibid. Tacitus Piſonem] *Cornelius Tacitus de Gn. Piſone Annalium* 1. (*cap.* LVII, *ex nupera diſtinctione:*) Vox quoque Piſonis audita eſt in convivio, cum apud regem Nabatæorum coronæ aureæ magno pondere Cæſari (*Germanico*) & Agrippinæ, leves Piſoni & ceteris, offerrentur, *principis Romani, non Parthi regis filio eas epulas dari.* abiecitque ſimul coronam.

Ibid. De Caligula Suetonius.] *De* XII. *Cæſaribus lib.* IV. *in Vita C. Caligulæ, cap.* XXII. Hactenus quaſi de principe, reliqua ut demonſtro narranda ſunt. Compluribus cognominibus aſſumptis (nam & PIVS, & CASTRORVM FILIVS, & PATER EXERCITVVM, & OPT. MAX. CAESAR vocabatur) cum audiret forte reges qui officii cauſa in urbem

urbem advenerant, concertantes apud ſe ſuper cœnam de nobilitate generis, exclamavit, Εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. Nec multum abfuit quin ſtatim diadema ſumeret, ſpeciemque principatus in regni formam converteret, &c.

Pag. 18. de Vercingetorigis patre Cæſar.] *De bello Gallico lib.* VII. *Pater Vercingetorigis Arverni Celtillus fuit, teſte ibidem Caſare, initio fere libri.* Celtilli filius, *in Græca interpretatione eſt*, Κελτίλλου.

Ibid. Plinius de Traiano.] *in Panegyrico Optimo Principi dicto, circa mediũ:* Stant effigies tuæ, quales olim ob egregia in Rempublicam merita privatis dicabantur: viſuntur eadem è materia (*ære*) Cæſaris ſtatuæ, qua Brutorum, qua Camillorum. Nec diſcrepat cauſſa, illi enim reges hoſtemque victorem mœnibus depulerunt: hic regnum ipſum, quæque alia captivitas gignit, arcet ac ſubmovet: ſedemque obtinet Principis, ne ſit Domino locus.

Ibid. Improprie Principatus regnum vocatur.] *Bodinus de Rep. lib.* I. *cap.* VIII. Pleríque non tam reipſa, quam appellatione ſunt reges. *Caietanus ad Summam Thomæ.* 2. 2. *quæſt.* XL. *art.* I. Alicubi ſtatuta ſunt talia, ut reges ſolo nomine ſint reges.

Ibid.

Ibid. ait Ariſtoteles.] *Politicorum* III. *cap.* XIV. αἱ κατὰ τοὺς ἡρωϊκοὺς χρόνους μοναρχίαι ἑκούσιαί τε καὶ πάτριαι γιγνόμεναι κατὰ νόμον. *& mox:* ἑκόντων μὲν, ἐπί τισι δ' ὡρισμένοις.

Ibid. Thucydides.] *lib.* I. πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι. *Cornelius Nepos, ſive Probus, in vita Ageſilai de regibus Lacedamoniis.* Reges nomine magis, quam imperio.

Pag. 20. Ordinum regimen] *Barclaius adverſus Monarchomachos lib.* VI. *cap.* XIV. Vbi regnum non eſt, maieſtas eſt penes populum aut Ordines.

CAP. II.

Pag. 23. Batavos partem Cattorum] *Verba ſunt Taciti Hiſtoriarum* IV. Batavi, donec trans Rhenum agebant pars Cattorum ſeditione domeſticam pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulque inſulam inter vada ſitam occupavere. quam mare Oceanum è fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit, nec opibus Romanis ſocietate validiorum attriti, viros tantum armaque imperio miniſtrant: diu Germanicis bellis exerciti: mox aucta per Britanniam gloria, tranſmiſſis illuc cohortibus, quas vetere inſtituto, nobiliſſimi popularium regebant. *Et de*

Moribus Germanorum: Omnium harum gentium virtute præcipui Batavi non multum ex ripa, ſed inſulam Rheni amnis colunt, Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſtica in eas ſedes tranſgreſſus, in quibus pars Romani imperii fierent. Manet honor, & antiquæ ſocietatis inſigne; nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit; exemti oneribus & collationibus, & tantum in uſum prœliorum ſepoſiti, velut tela atque arma, bellis reſervantur. Eſt in eodem obſequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraque veteres terminos imperii reverentiam. Ita ſede finibuſque in ſua ripa, mente animoque nobiſcum agunt, cetera ſimiles Batavis, niſi quod ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo. & cœlo acrius animantur. *Pluſcula non temere adſcripſi, quia uſui erunt poſtea: & præſtat ei hic ſemel integre legi, quam ſemper carptim, & per partes.*

Ibid. Batavorum nominis apud Cattos veſtigia.] *Batavos olim inter Cattos, eoſque nunc Heſſos, docti exiſtimant. Atque in eam rem nova argumenta prodit generoſa ſtirpis & elegantis ingenij ſplendore nobiliſſimus Ianus Douſa filius*, Catzenfort *ad Dilliam fluvium, & forte an* Katers *Hirſfeldo opido, &* Katerberg

berg *VVanfredo vicinum. Quare Batavorum veterum in Haſsia ſedes. Quo autem in loco eas habuerint, coniectura è locorum nominibus petita, idem indagat: & ſuſpicatur eos circa Adranam (huius Tacitus meminit Annalium. 1. vulgo* Eder*) & Gilſam fluvios in VValdeckenſis Comitatus confiniis ſitos fuiſſe. Cuius rei teſtimonium perhibere ipſi videntur* Batebergum, *arx edito in colle Adranæ alluenti aſsidens: & pagus* Batenhauſen *inter VVarram & Gilſam (vulgo* War *&* Gilſe*) fluvios.* Baddenfeldum *præterea prope eundem Adranum locus nominatus Auctori Annalium de geſtis Caroli Magni.*

Ibid. Cattorum viciſſim apud Batavos veſtigia.] *Præter argumenta ab aliis adducta ex duobus eiuſdem nominis pagis,* Cat-wijck op den Rhijn, *&* Catwijck op Zee; *qui olim ad medium Rheni oſtium Bataviam ad Oceanum terminarunt, adfert idem Douſa filius* Catvicum, *in Comitatu Cukienſi, Batavorum inibi terminum. Cattorum denique memoriam in Zelandia tuentur, inquit,* Catzium *oppidum, quod ante aliquot annos aquis obrutum, & è regione eius vicus prope Goeſam urbem* Cattendijck. *Quod Zelandos eiuſdem nobiscum originis fuiſſe, ſatis ipſi evidens argumentum. Et hi antiquitus Batavis annumerati fuerint & accenſiti inſulis illis, quas Rhenum incurſibus ſuis in*

mare facere teſtatur Cæſar lib. IV. *de Bello Gallico* : Rhenus, *inquit*, oritur ex Lepontiis qui Alpes incolunt, & longo ſpatio citatus fertur; ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibuſque inſulis effectis, multiſque capitibus in Oceanum influit. *Sed* Mattiacorum *nomine Romanis notos plerique opinantur. Et* Mattium *caput gentis Cattorum fuiſſe conſtat ex Annali primo Taciti* : Cæſar incenſo Mattio (id genti caput) aperta populatus, vertit ad Rhenum. *Et Plinius* Mattiacos *in Germania* fontes *trans Rhenum nominat. l.* XXXI, *cap.* II. *Hac ad Cattos, à quibus orti Mattiaci noſtri, ſive Zelandi, trahit ὁ θαυμάσιος Douſa, & eoſdem cenſet non multum ante Traiani tempora Romanorum potentiæ acceſſiſſe; cum dicat Tacitus (ſcripſit is librum de Germania ſecundo Traiani conſulatu, id eſt primo principatus eius anno) Mattiacorum gentem in eodem cum Batavis obſequio. Sed in ſententia vacillat doctiſſimus iuvenis, & hæc verba*; cætera ſimiles Batavis, niſi quod ipſo adhuc terræ ſuæ ſolo & cœlo acrius animantur: *faciunt, ut exiſtimet Mattiacos à Septentrione potius Batavis finitimos, quam ad ripam Gallicam poſitos fuiſſe qua ſane eis Rhenum fuit, intraque veteres Imperii Romani terminos, quod flumine finiebatur. Quare hoc argumento circa*

circa Svvollam & Campos, ad Iſalam flumen ſive Fleυum tertium Rheni oſtium, ſedes habuerunt, *ubi etiamnum caſtellum* Catten *dictum progenitores ſuos teſtari videtur. Vtcunque ſe res habeat, frigidiorem quam Batavia fuit, tractum Mattiacos incoluiſſe, Taciti verba non obſcure innuunt*, *qui cœli ſoliquè horrorem in iis locis, hominumque ingenia ad cœli ſui ſimilitudinem horrentia deſcribit. Hæc ita Douſa. Sic ut ubi non fuerint, facilius coniectu dictuque ſit, quam veram Mattiacis ſedem aſſignare. Sunt qui ex eodem argumento in Septentrionali eos fuiſſe volunt Hollandia. Reclamante, quantum poteſt, Philippo Cluverio. qui videatur, ſi cui tanti, Germaniæ antiquæ lib.* III, *cap.* VII; *& lib.* II, *cap.* XXIX. *ubi Toxandros ſive Taxandros Selandicas inſulas incoluiſſe aſſerit. & vidi, qui eius auctoritatem ſequantur: ſic varia vibiam ſequitur. De quo videbimus alias: nunc ad Mattiacos noſtros revertamur. Quod ſi præterea conjecturis locus: audiatur & noſtra.* Sunt Mattiaci, *ait Plinius*, in Germania fontes calidi trans Rhenum, quorum hauſtus triduo fervet; circa marginem vero pumicem faciunt aquæ. *Eoſdem fontes Amminus Marcellinus* Mattiacas aquas *appellat*, *lib.* XXIX, *de Valentiniano Imp. ſcribens:* Iunxit navibus Rhenum. & antegreſſus contra Mattiacas aquas primus Se-

H 3 verus

verus &c. *Sane hos* fontes *ſive* aquas *temere in Selandicis inſulis, aut aliqua finitimarum regionum quaras; temere ad Iſalam amnem: temere in Hollandia Septentrionali, Mattiaci ſine controverſia trans Rhenum.* Et Aquæ *iſtæ* Mattiacæ *proculdubio ſunt* Badenſes, *in Marchionatu celebri. Deſcripſit ibidem ex columna inſcriptionem veterem Henricus Scultetus Sileſius, vir eruditus, quæ eſt eiuſmodi:*

M. AVRELIO
ANTONINO. CAES
IMP. DESTINATO
IMP. L. SEPTIMI
SEVERI. PERTINACIS
AVG. FILIO
RESP. AQV.

Exhibet hanc antiqui lapidis epigraphen Martinus Smetius Inſcriptionum antiquarum folio CLV, 3 *cum hoc titulo:* Coloniæ Agrippinæ, in porticu templi Aquarum, hoc eſt Thermarum, quas Antoninus & Hadrianus Romani principes ſuo opere ædificarunt. *Praeſtantiſſimus Gruterus, ſummus noſter*, dum Fata Deusque ſinebant, *amicus, eandem Inſcriptionem habet ardui Operis ſui pag.* CCLXVII, 8. *reſervato illo Smetiano titulo. Atqui, ut nos illuſtris Scaliger olim admonebat, eam Scultetus in Marchionatu Badenſi deſcripſit. Et ſane propius vero eſt,*

ex

ex eiuſdem Herois ſententia, ut Reſpublica Aquenſium *dicatur urbs Badenſis, ut indicat nomen: quam ut ea Inſcriptio reperiatur Coloniæ, quæ non eſt Reſpublica Aquenſium.* Reſpublica *hac* Aquenſis *eſt Tacito, & Ptolomaeo geographo,* Mattium, Cattorum gentis caput. *A quo* Mattio, *dicti* Mattiaci fontes, *&* Mattiacæ aquæ. *Hoc modo* Catti *non fuerint* Heſſenſes, *neque* Mattium, Marpurgum *opidum, quod creditum pluribus & perſuaſum hactenus, ſed* Badenſes. *quod verum eſt.* Mattium *autem, non* Mattiacum Ματτίακον, *apud Ptolomaum eſt legendum: aut reſcribendum,* Ματτίακον *π.* *id eſt,* πόλις. *Ab hac Metropoli,* Mattiacorum *genti nomen quaſitum: ab hac* Mattiacos fontes *Plinius, & Marcellinus* Mattiacas aquas *nominat.* Ματτιακῶν *haud dubio corruptum eſt. Ego, qui meus ſtuper eſt, non video quomodo à* Mattiaco *aut aquæ aut fontes* Mattiaci *dici poſſint, non magis quam à* Moguntiaco, Maguntiaci. *Quod ridiculum. Quare à Mattio potius deduxeris. Sed hac alias, volente Deo, fuſius pertractanda, & excutienda accuratius.*

Pag. 24. Strabo ſatis docet.] *Lib.* IV. Ἀ' ἐϛρατεύσαντο δ' ἧττον αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν.

Ibid. Batavi ſi quid Tacito.] *Libro de Moribus Germanorum:* Omnium

harum gentium virtute præcipui Batavi.

Ibid. & Plinio credimus.] *Lib.* IV. *c.* XV. In Rheno ipſo, prope centum millia paſſuum in longitudinem nobiliſſima Batavorum inſula, & Caninefatum.

Pag. 26. alibi dicitur Civilem regio ortum ſanguine.] *Hiſtoriarum* IV. *Tacitus*: Iulius Paullus & Claudius Civilis, regia ſtirpe, multo ceteros anteibant, *cap.* XIII.

Ibid. Veromerum Batavorum regem appellat Strabo:] *Geographiæ lib.* VII. *corrupto loco, & pro* Βατάων *legendum forte* Χάττων.

Ibid. Batavorum regum mentio apud Ammianum. *Lib.* XVI, *de quo loco vide infra.*

Pag. 27. in quantum Germani regnantur.] *Optime ſic apud Tacitum Annal. lib.* XIII. *legitur in emendatis codicibus Curtij Pichenæ. Nam vulgo eſt*, in qua tum Germani regnabant. *De utraque lectione contendunt inter ſe clariſſimus doctiſſimuſque vir Ioannes Iſacius Pontanus, & inſignita audacia Philippus Cluverius. Qui ambo videantur.*

Pag. 28. Cariovalda,] *Tacitus Annal.* II. Cariovalda dux Batavorum erupit. *Cap* XI. *Ibidem interficitur.*

Pag. 30. belli, quod nuper deſiit.] *Indu-*

Inducias duodecennales innuit Auctor, factas cum Sereniſſimis Archiducibus Alberto & Iſabella, Regeque Hiſpaniarum, anno cIↃ IↃ C IX.

Pag. 32. inter Friſios & Wilielmum] *Hollandiæ Comitem eius nominis* I V. *Incidit autem prælium iſtud Principi noſtro funeſtum Anno* cIↃ CCC XLV.

Pag. 35. nationes ſeptem Plinius numerat.] *Lib.* IV. *cap.* XV. In Rheno ipſo (*inquit*) prope centum millia paſſuum in longitudinem, nobiliſſima Batavorum inſula, & Cannenufatum, & aliæ Friſiorum, Cauchorum, Friſiabonum, Sturiorum, Marſatiorum, quæ ſternuntur inter Helium ac Flevum. Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus, ab Septentrione in lacus; ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit, &c. *De quibus populis conſulendus in Deſcriptionibus Chorographicis noſter Pontanus. Cluverius mira metamorphoſi hæc ex ingenio ſuo nimiumquam confidenti refingit, legitque:* & aliæ Friſiorum maiorum, Friſiorum minorum, Marſatiorumque &c. *Si cui ridicularia placent, adeat eius Germaniam antiquam lib.* II. *c.* XXXIII. *& huius ſuæ interpolationis rationem reddit lib.* III. *cap.* XVII. *Pontanus vero noſter hanc Plinianorum verborum reſcriptionem Cluverianam, non Plinius modo, ſed ſibi adverſam docet in Chorographi-*

cis Diſceptationibus , *& Reſponſionum Sylloge, ubi de Friſiis agunt. Auctor noſter abit quoque à vulgata lectione, & agnoſcit præter* Batavos & Caninefates, Friſios minores, Friſiabones, Canchos minores, Tuſios, & Marſacios. *V. Cl. Hadrianus Iunius primus, quod ſciam,* Tuſios *eruit ex membranis antiquis. Ex MS. inquam, Ioannis Chauci Traiectenſis. Explicatum hîc quid ipſe ſentiam de hoc Plinij loco: ſed perexigui libelli modulus non permittit amplas & ambitioſas diſſertationes. Commodius aliquando, ſi volet Deus, fiet in Batavicarum rerum Commentariis.*

Pag. 38. laudatam Platoni Remp.] *Menexeno:* Μετ᾽ εὐδοξίας πλήθους ἀριστοκρατία.

Pag. 39. aliaque Tacito & Peutingerianis Tabulis memorata oppida.] *Tacitus Hiſtor. lib.* v. Civili Cauchorum auxilia venêre. non auſus tamen oppidum Batavorum armis tueri, raptis quæ ferri poterant, cæteris iniecto igni, in inſulam conceſſit. *Extra inſulam ad Vahalem hoc* oppidum, *quocunque tandem nomine, fuit. Sunt qui accipiant* Batenburg, *quaſi* Batawenburg, *id eſt*, caſtellum *ſeu* oppidum Batavorum. *Qui olim hic pro* Batavorum *repoſuerunt* Batavodurum, *recte ſeipſos poſtea correxerunt: cum* Batavodurum *non oppidum, ſed vicus Tacito infra dicatur: ita ut oppidorum*

dorum catalogo eximi debeat Batavodurum. *Alij* Batavorum *hic* oppidum *Noviomagum interpretantur : & in ea ſententia memini, præter Pontanum noſtrum, eſſe antiquitatum omnium cultorem ſummum & earundem peritiſſimum virum Iohannem Smetium : cuius Commentarium de Noviomagi oppidi antiquitate & monumentis priſcis inibi effoſſis, avidiſſime exſpectamus. Ceterum* Batavodurum *vulgus Geographorum cenſet* Wijck te Duerſtede, *hoc eſt*, Vicus Batavoduri. Arenacum *Taciti* Arnhem *interpretantur.* Vada Wageningen. Grinnes *abiecta prima litera* Renen, *ſive* Rhenen. *Ex his unum* Batavodurum *veterem ſitum in inſula obtinet, reliqua, ſervatis regionibus, in ulteriorem ripam tranſlata ſunt. Niſi loca hæc prorſus abolita velimus dicere. Ortelium, qui ut hodie invenit ſic in veteris, quod vocat, Belgij deſcriptione, in ulteriore ripa cuncta collocavit, ceteroſque eius ſententiæ ſcriptores, vehementiſſime falli, cum ex Tacito, tum ex aliis ſcriptoribus probare annititur Auctor Germaniæ antiquæ lib.* II. *cap.* XXXVI. *Ad reliqua oppida aut caſtra Romanorum, quod attinet, Ptolemaus in deſcriptione Galliæ Belgicæ opidum habet* Λουγόδουνον Βαταυῶν, Lugodinum Batavorum. *&* Lugdunum *hoc exſtat in Itinerario Antonini : quod vulgo eſt* Leyden, *oppidum eruditiſſimis viris*

viris & Academia famigeratum. Præter hæc alia loca nominantur in Tabulis Peutingerianis. Nam ibi duo itinera per Batavorum agros deſcribuntur, hoc modo. Primum iter per dextrum inſulæ latus, id eſt per Rheni ripam.

Colonia Traiana	
Burginatio	V.
Arenatio	VI.
Noviomagi	X.
Caſtra Herculis	VIII.
Carvone	XIII.
Levefano	VIII.
Fletione	XVI.
Lauri	XII.
Nigro pullo	V.
Albinianis	II.
Matilone	V.
Prætorium Agrippinæ	III.
Lugduno.	

Alterum iter per lævium inſulæ latus.

Colonia Traiana	
Burginatio	V.
Arenatio	VI.
Noviomagi	X.
Ad Duodecimum	XVIII.
Grinnibus	VI.
Caſpingio	XVIII.
Tablis	XII.
Flenio	XVIII.

Foro

Foro Adriani XII.
Lugduno.

Nota quod hic Grinnes *ſit in lævo itinere, &* Renen *hodie in dextro inſulæ latere, Quare aliud quid latere in* Grinnibus *iſtis Taciti mihi omnino perſuadeo. Sed hic eius inquirendi non eſt locus. Pergamus.*

CAP. III.

Pag. 46. C. Iulius Cæſar inſulæ Batavorum meminit] *De bello Gallico lib.* IV. Moſa profluit ex monte Vogeſo, qui eſt in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Walis, infuſam efficit Batavorum. Neque longius ab eo millibus paſſuum LXXX. in Oceanum tranſit. Rhenus autem oritur ex Lepontiis, &c. ubi Oceano appropinquavit, in plures diffluit partes, multis ingentibuſque inſulis effectis, quarum pars magna à feris barbariſq; nationibus incolitur &c. multiſque capitibus in Oceanum influit. *Hoc loco* Walis *eſt Græco interpreti* Βάκαλες. *In aliis codicibus eſt* Vacalos, *ſed in vetuſtioribus* Valis.

Ibid. Lucanus.] *Lib.* I. *verſ.* 431.
Vangiones, Batavique truces.

Ibid. Ipſe (*Cæſar*) Germanos ſecum equites fuiſſe ſcribit.] *De bello Gallico lib.* VII. Cæſar ex caſtris equitatum
educi

educi jubet, prælíumq; equeſtre committit: laborantibus jam ſuis Germanos equites circiter cccc ſubmittit, quos ab initio ſecum habere inſtituerat. *Et bello Alexandrino Germanici equites Cæſariani:* Eodem tempore (*ſcribit A. Hirtius libro de bello Alexandrino*) equites Germani diſperſi vada fluminis quærentes, dimiſſioribus ripis flumen (*Nilum*) tranſnarunt.

Ibid. Oroſius auctor eſt.] *Lib.* VI. *cap.* XI. Romani præcipua Romanorum equitum, quos Cæſar ſibi iamdudum amicos, nunc in auxilium adſciverat, virtute vicerunt. *Agit de bello Cæſaris adverſus Gallos, cum res novas molirentur.*

Ibid. ad Noviodunum.] *Cæſar de bello Gallico lib.* VII. *cap.* XII. XIII.

Pag. 47. iactat Civilis.] *Apud Tacitum Hiſtor. lib.* IV.

Pag. 48. De Batavo Martialis.] *Lib.* XIV, *Apophoretorum diſticho* CLXXVI, Perſona Germanico.

(ita lego) *Sum figuli luſus, rufi perſona Batavi.*
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Pag. 51. Hadriano ad Danubium caſtra habenti magnus Batavi militis uſus fuit.] *Xiphilinus ex Dione, & Suidas de Sorano.*

Pag. 52. Inſcriptiones.] *Has lector diſcendi*

diſcendi cupidus legat in Tabulario Antiquitatum Batavicarum.

Pag. 53. virtuti Batavorum deberi Ammianus docet.] *Marcellini verba ſunt lib.* XVI. Quo cognito, opitulaturum conturmalibus ſuis (*Cornutis & Craccatis in Iuliani exercitu*) celeri curſu Batavi venere cum regibus, formidabilis manus, extremæ neceſſitatis articulo circumventos, ſi iuviſſet fors, ereptura, torvumque canentibus claſſicis, adultis viribus, certabatur. *Reges hic, ut ingenue fatear, poſſunt videri numerorum militarium & vexillationum reges, ſive Duces. ipſique Batavi. numeri auxiliares. quemadmodum Braccati, Coranti, Heruli, Mattiaci, aliique innumeri apud Ammianum, & in Notitia Imperii. Alemannorum, Francorumque reges nominatim exprimuntur non pauci in Ammiani Hiſtoria & alibi. Iulianus è Quadis, Saliis Batavique legiones conſcripſit auxiliares, quibus Batavorum nomen fuit, Zoſimo auctore Hiſtor. lib.* III.

Pag. 55. Batavorum ope recuperatum Londinum &c.] *Operæ eſt pretium, ipſum Ammianum Marcellinum, unde hæc petita ſunt, audire. Is igitur lib.* XXVII. *ſub Valentiniano, ita hac de re ſcribit.* Cum Batavi veniſſent & Heruli, Ioviique & Victores, fidentes viribus numeri, egreſſus tendenſque ad Lundi-

Lundinium vetus oppidum, quod Auguſtam poſteritas appellavit, diviſis plurifariam globis, adortus eſt vagantes hoſtium vaſtatorias manus. *Quod ſequitur in Auctore noſtro de Civili Britannia rectore, hoc memoriæ tradidit quoque Ammianus. Sed Batavum fuiſſe non addit; & à Claudio illi Civili, Taciti toties laudato, denominatum videri, debemus ingenio Maximi & æternitate digniſſimi viri.*

CAP. IV.

Pag. 56. Batuæ.] *Regino Prumienſis abbas in Chronico ad annum* IↃ CCCVI. Imperator ad Neomagum in Badua (*ſive* Batua, *ut eſt in MS.*) venit. *Et Anno* IↃ CCCLXXXV. Rheni fluenta & Waal Batuam provinciam ſuo gurgite cingunt. *Ibidem* Nortmanni qui in Batua reperti. *Aimonus initio Hiſtoriæ Francorum, aliique.*

Ibid. Pars Batavorum Friſii, &c.] *De inſulanis & Rhenum accolentibus populis ex Plinii lib.* IV. cap. XV. *nonnulla annotavimus ad Caput* II.

Ibid. Cæſarum cuſtodes Friſiabones.] *Immo* Friſii, Friſæones, & Friſævones. *Inſcriptiones habet in Antiquitatum Batavicarum Tabulario.*

Ibid. Certe primos Comites, non aliter

ter quam Friſios appellatos invenias.] *Diligentiſſimus ille rerum Flandricarum ſcriptor Iac. Meyerus, qui optimis & antiquiſſimis Chronicis Bavonici cœnobij Gandæ aliiſque uſus, in concinnandis ſuis Annalibus:* Theoderico cognomine Friſio, *inquit,* fortiſſimo viro, primo inſtituto Comite, *Anno* D. CCC LXIII.

Pag. 57. Regum Batavorum Ammianus meminit.] *Semel atque iterum citato lib.* XVI. *Sed nec dum locus illi ſatis excuſſus eſt. Mihi profecto hæret aqua.*

Ibid. Scriptores antiquiſſimi.] *Regino, Ado, Sigebertus, & Lambertus Aſcafnaburgenſis (ita cognominandus Auctor Chronici Hirsfeldenſis: qui perperam vulgo Scafnaburgenſis appellatur.*

Ibid. Brittiam inſulam.] *Vide, ſis, de Procopij hoc loco, Philippum Cluuerium Germ. antiq. lib.* II. *cap.* XXXVI. *pag.* 177.

CAP. V.

Pag. 60. De Comitum inſtitutione.] *Hollandiæ Comitatus natalis incidit anno Domini* IↃ CCC LXIII. *Sic vulgus Hiſtoricorum unanimi conſenſu. Et hæc ſententia diu obtinuit. Donec ſaniores inchoati Comitatus annum aſſererent* IↃ CCC XIII, *totus quinquaginta annis poſt. Mihi hercules iamdudum hic ſcrupulus iniectus haud levis. Quam bene hi ſentiant, illi diſſen-*

tiant, nunc non diſputo: & res eſt maioris indaginis, atque alterius tractationis. Plurima in numerato equidem habeo, ſed negotium intricatius eſt quam ut hic expediri poſſit.

*Pag.*62. Fladirtinga,&c.] *Lambertus Aſchafnaburgenſis ad annum* M XLVIII. Vrbes duas municiſſimas cepit, Rineſburg, & Fleerdingen. *Vixit optimus hiſtoria ſuorum temporum conditor ſub Henricis* III. *&* IV. *Imp. illo ipſo, quo hac evenerunt, tempore.*

Ibid. Vronla.] *De* Vronla, *ſive* Verona, *conſulendus Iunius noſter in Batavia, in Alcmaria deſcriptione. Caterum his adijci poterat* Medemelaca *regionis Septentrionalis rectius, quam Verona, meo animo, caput: certe ea vetuſtior, & quidem Regia Radbodi ſedes. De qua nova nuper mota controverſia in Hollandicis Annalibus generoſi & erudiciſſimi Iani Douſa patris, lib.* VI.

Pag. 64. Didericus Friſius.] *Vide in Notis capite pracedenti.*

Ibid. Ianus Douſa Nordovix.] *Fine lib.* V. *Hollandicorum Annalium.*

Ibid. Friſonum Comes à Regione.] *In geſtis anni* D CCC LXXXV. *& anno* D CCC XCVIII.

Pag. 65. cui nomen Hollandia.] *De hoc pago adeundus inprimis Gulielmus Heda, rerum Traiectenſium fideliſſimus ſcriptor.*

ſcriptor. Ex enim fontibus alÿ, noſque hauſimus.

Pag.67. Neque obſtrictos ullo Feudi vinculo.] *Cum anno* MCCCCXVIII. *Ioannes Bavarus, electus Leodienſis, ſed ſacerdotio initiari nolens, Ioannem Brabantiæ Ducem, maritum Iacobæ, Hollandiæ ceteriſque uxoris opibus potiri fremeret, ducta Eliſabetha Ducis noverca, & fœdere cum Sigiſmundo Imperatore inito, Hollandiam, Zelandiam ac Hannoniam beneficiario iure ab eo poſſidendas accepit: quaſi ad Imperium, mortuo Guilielmo Comite ſine maſcula prole, devolutas. Et tum pariter interdicta Ioanni Brabanto earundem regionum adminiſtratio, datis literis Conſtantiæ,* XXIX *Martÿ. Quarum literarum munimini fiſus Bavarus, cum iam Hollandiæ, Zelandiæ, ac Hannoniæ oppida ſollicitaret, hoc reſponſum tulit:* Regiones has neque Feudum Imperii eſſe, nec ad mares ſolos devolvi; cum certiſſimo experimento conſtet, Valtrudem Carolomanni Auſtraſiæ Principis neptem, Richildim quoque Comitatum Hannoniæ; Adam, ac Margaretam Comitatum Hollandiæ, maritis dotales attuliſſe, &c. *quæ refert Petrus Divæus rerum Brabanticarum lib.* XVIII, *quem, ſuadeo, legas.*

Pag.68. Pronunciatum.] *Lata eſt ſententia* XIII. *Martÿ, anno* M IↃ XLIX.

Ibid. Proculus egregiè.] L. non dubito, *ff. De captivis*.

Pag. 69. Didericus quartus.] *Eius nominis* IV, *v. Comes Hollandiæ*.

Pag. 70. Germani ipſi confitentur.] *Sleidanus ex perſona Trevirenſis:* Cur autem ad nos magnopere Belgium pertinere putemus, non video: ſunt quidem nobis vicini, ſed ſocietatem nobiſcum aut fœdus nullum habent, nec Imperii leges ad ſe quicquam pertinere ducunt, nec ad publicos uſus quicquam contribuunt, non magis quam Britanni, vel Scoti.

Pag. 71. Scriptores externi.] *L. Guicciardinus in Deſcriptione Belgico-Germaniæ, de Ordinibus loquens:* Solet eos princeps multis rationibus atque argumentis in ſententiam ſuam perducere. Neque enim aliter quam perſuaſionibus agi poteſt, cum non, ut alibi multis in locis, ita his liceat dicere: Sic volo, Sic iubeo. *Idem capite de Privilegiis Brabantiæ comparat Rempublicam Belgico-Germanicam Laconicæ. Scripſit anno* M IↃ LXVI.

Pag. 73. Hæc iura &c.] *Exſtant Chirographa veterum principum, deinde Margaritæ Bavaræ, Ioan. Ducis Turonum, & Ducis Brabantiæ, coniugum Iacobæ Bavaræ, Philippi Burgundi, & ſequentium.*

Ibid. De Repulica ſcripſerunt.] *Bodinus*

dinus lib. I. *cap.* VIII. Summum imperium conditione aliqua vel lege datum, ſummum non eſt, nec legibus ſolutum. *Et mox de formula Polonica:* Hæc formula non regiam maieſtatem, ſed principis conditionem ſapit. *Item:* Plerique verſus aquilonem ita concipiunt iuſiurandum, ut de maieſtate plurimum detrahere videantur. *Item:* Princeps qui iurat in leges patrias, non habet ſummam poteſtatem.

Pag. 75. Diderico autem.] *Eius nominis* III, *Comiti Hollandiæ* IV.

Ibid. Diderico quarto.] *Eius nominis* IV. *ſed* V. *Comite.*

Ibid. Florentium Principem.] *Sextum in ſerie Comitum.*

Ibid. Diderici mox.] *Principis* VII.

Pag. 76. Ada Diderici ſeptimi.] *Eius nominis* VII, *Comitis vero* XI.

Ibid. Florentio quarto.] *Hollandiæ Principis* XIII.

Ibid. Per mortem quinti.] *Ita ſcribendum, non* quarti. *Is eſt Florentius qui parricidali odio nefarie à ſuis eſt trucidatus, anno* M CC XCVI, *relicto ſucceſſore filio Iohanne, unico herede, qui tum in Anglia aberat.*

Ibid. Margarita deinde.] *Bavari Ludovici* IV. *Imp. uxor.*

Pag. 77. filius Wilelmus.] *Eius nominis* V, *Comes* XXI, *vulgo dictus*, de dolle Graef.

Ibid. Adelberti *&c.* Equitum & Vrbium conſilio adminiſtraret.] *Flagrante bello civili Flandriæ, & Ludovico Maleano Comite nobiles, Gandenſibus vero plebem defendentibus, miſit, inter alios, ad Albertum Bavarum Hollandiæ, &c. Comitem, legatos ſuos Princeps, obnixe rogans ne rebelles Gandenſes commeatu, ullaque re neceſſaria, iuvari è ditionibus ſuis ſinat:* communem enim omnium Principum debere eſſe cauſam in tuenda dignitate, ac proinde curandum, ut Gandenſes exemplum cæteris præbeant, ne quis temere contra legitimum Principem arma induat. *Brabanti, Namurenſes, Hannones Principibus ſuis in gratiam Flandriæ Comitis obtemperarunt. Hollandi ac Zelandi minime; quantumvis Comes Albertus omni ratione Ludovico factum vellet.* Precario enim ferme (*verba ſunt Ponti Heuteri, rerum Burgundicarum lib.* II.) Regali huius temporis liberis populis imperabant. *Accidere hæc anno* MCCCLXXXI.

CAP. VI.

Pag. 86. Ariſtoteles.] *Politicorum* V. *cap.* X. αἱ τυραννίδες ἐκ τῶν βασιλείων παρεκβαινόντων τὰ πάτρια καὶ δεσποτικωτέρας ἀρχῆς ὀρεγομένων.

CAP.

CAP. VII.

Pag. 94. principatu excidiſſe.] *Baltazar Ayala regij exercitus apud Belgas ſupremus iuridicus, de Iure & off. bell. lib.* 1. *cap.* 11. Et hæc quidem ita procedunt, ſi ſummum imperium ſit apud unum principem. Sin vero ſit apud populum vel optimates, licebit cum tyranno iure agere, ſi tempora permittant: ſin minus, licebit eum vi opprimere. Itaque Senatus priorem viam ſecutus eſt in Nerone, poſteriorem in Maximino. Sciendum enim eſt Imperatores Romanos non habuiſſe ſummum imperium, quamvis plerique id ſibi tyrannice uſurpaverint. non enim erant imperatores aliud quam principes.

Pag. 107. optime nobis cum Achæis.] *Iuſtinus lib.* XXXIV. Achæi nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur, non propter ſingularum civitatum nimias opes, ſed propter conſpirationem univerſarum. Namque Achæi licet per civitates veluti per membra diviſi ſint, unum tamen corpus & unum imperium habent.

Pag. 109. Notant, qui gentium, &c.] *Bodinus de Republ. lib.* 1. *cap.* VIII. Populi omnes ad aquilonem poſiti libertatem quandam ſpirant. *Ariſtote-*

les Polit. III. *cap.* XVII. ἀριστοκρατικὸν πλῆθος τὸ ἄρχεσθαι δυνάμενον τὴν τῶν ἐλευθέρων ἀρχὴν ὑπὸ τῶν κατ' ἀρετὴν ἡγεμονικῶν. *Bartolus*, *De regimine civitatis*: Populo in ſecundo gradu magnitudinis non expedit regi per unum vel per multitudinem, ſed per paucos divites & bonos.

Addenda ſuperioribus.

Cap. II.

Pag. 29. Mos ille Cattorum.] *De quo Tacitus de Moribus Germanorum.* Apud Cattos, *inquit*, in conſenſum vertit, ut primum adoleverint crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum, &c. *Godefridum Magnum* Barbatum *dictum accepimus, quod iuraſſet ſe barbam non poſiturum, donec Lotharingiæ Ducatus diu debiti compos eſſet. Cuius rei V. C. Iuſtus Lipſius in Lovanio, aliique meminerunt. Principatus eius initium eſt annus* CIↃ XCVI.

Pag. 31. Veſtes non fluitantes, ſed quæ ſingulos artus exprimant.] *Sidonius Apollinaris de Francis:*

Strictius aſſueta veſtes procera coërcent
Mem-

Membra virum; patet iis arctato tegmine poples.

CAP. III.

Pag. 47. Vada nando cum equis tranſmittere.] *Aimonius lib.* IV, *cap.* XVIII. Clotarius rex ultra quam dici poſſit exardeſcens ira, capiti impoſita caſſide, calcaribus equum verſus Bertaldum Saxoniæ ducem impulit, ut tranſmeato flumine ſe de inimicis ſuis ulciſceretur. Franci ibidem iniuria regis permoti, atque eius exemplo flumen (*VViſeram*) natantes tranſibant ſequentes regem, qui fugienti Bertaldo infeſtus inſiſtebat.

CAP. IV.

Pag. 58. Arcem *Brittiam* nomine.] *De hac arce, vulgo* Brittenburg, *&* 'tHuys te Britten *dicta, agit in Batavia Iunius ſingulari capite. Sed in eo errat vir ſummus, quod exiſtimet arcem illam maritimam* Armamentarium Pop. Rom. *fuiſſe.*

Quod falſum eſſe nos alibi probamus.

Cap. V.

Pag.69. contra Imperatores,] *Theodericus eius nominis* IV, *Principum noſtrorum quintus, proſpera belli fortuna uſus contra Imperatorem Henricum* IV. *Videndi ad an.* MXLVI, MXLVII, *&* MXLVIII, *Hermannus Contractus, Lãbertus Aſchafnaburgenſis, & Anſelmus Canonicus Leodienſis, in VVaſone* LII *Epiſcopo, cap.*VII.

FINIS.

Digitized by Google

PAVLI MERVLÆ

De Statu

REIP. BATAVICÆ
Diatriba.

Digitized by Google

PAULI MERULÆ

De Statu

REIP. BATAVICÆ
Diatriba.

GERMANIAM non ignobilẽ Europæ portionem ; poſterioris ævi ſcriptores tradunt duplicem, Superiorem & Inferiorem. De Superiore, quæ item Vetus & Magna ; non jam dicendi locus. Inferior, quæ nonnullis ab inſigni præſtantia ocellus dicitur orbis borealioris, hodie XVII habet provincias; quarum quæ ad ſeptentrionaliorem Rheni ripam, in queis Batavia noſtra, olim veteri erant Germaniæ, quæ vero ad auſtraliorem eiuſdem fluminis marginẽ, Galliæ quondam contributæ

erant

Digitized by Google

erant Belgicę. Singulis ante centum, & qui excurrunt, annos, ſui fere fuerunt Princeps, ſucceſſione nobiliſſima; qui ſexus utriuſque propter virtutis communionem, illuſtriaque exempla, naſci nobis melius, pacatius, ſecurius conſueverunt, quam eligi. Sui vero fuerunt, Brabantiæ quidem, Limburgo, Leucebergo, & Geldriæ Duces; Flandriæ, Arteſiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurco, Zutphaniæque Comites; Imperio ſacro, cui ſuum Antverpiæ ſacrarium, Marchiones; reliquis denique Friſiæ, Ultrajecto, Tranſiſulaniæ, Mechliniæ, & Groningæ Domini. Primus univerſum & abſolutum omnium ſimul Principatum adeptus eſt Karolus Imperator, eius nomenclaturæ Quintus; ſtrata ab ipſius progenitoribus regaliter ad tantum faſtigium via partim matrimoniorum

niorum & adfinitatum, partim vero ſucceſſionum jure & beneficio. Karolo ſucceſſor fuit Philippus filius, non ſolum feliciſſimus Belgicæ totius Princeps, verum etiam potentiſſimus Hiſpaniarum, aliorumque regnorũ monarcha. Sub eo variis artibus, technis, doliſque circumducto, intoleranda conſtitutionum, quæ contra puriorem religionem profeſſos facta acerbitas; tyrannica inquiſitionis contra miſerorum ſubditorum conſcientias impotentia, & odioſa privilegiorum infractio, novis Epiſcopatibus, multiſque ſuppliciorum generibus comitatæ, quum jam ſub Karolo ipſius patre initium habuiſſent, adeo invaluerunt, ſuasque exercere & exerere vires cœperunt, ut crudeliſſima bella (quibus quis tandem futurus finis?) genuerint; Philippo crebras ſuorum preces, conte-

conteſtationes, ſuppliceſque libellos, atque adeo pias multorum Principum, quin ipſius etiam Imperatoris, pro ipſius interceſſionis cum indignatione abjicienti, principatum abrogarint, & diſcidium, quod hodieque inter Provincias, nunc has, nunc illas, funeſtum ſane calamitoſumque fecerint: quarum quæ, ſcopo religionis reformatæ libertatiſque avitæ propoſito, fœdus inter ſe contra communem hoſtem inerint, Fœderatæ & ab unione ſancita Unitæ jamnunc appellantur. Sunt eius hodie cõditionis ſeptem: unus Ducatus, Geldria, cui Zutphania concenſetur; Comitatus duo, Hollandia & Zelandia; Dominia quatuor, Friſia, Ultraiectum, Tranſiſulana & Groningana ditio. Hæ ſunt, quarum auſpiciis bellum hodie contra potentiſſimos hoſtes, cum ſummo omnium ſtu-

pore

pore gerit unus (nam apud nos penes unum rei militaris eſt ſumma) Mauritius Naſſovius Gulielmi Principis Arauſianorū filius, heros gloria plenus, Ductor copiarum Fœderatorum invictiſſimus: de quo, ut olim de Karthagine enunciavit Salluſtius, ſatius eſt ſilere, quam pauca tenuiter & jejune dicere. Is ſane eſt, cui *ipſiſſimæ boni legitimiq;* Ducis adſunt & inſunt notæ; gnara rerum militarium, ante pugnam, in pugna, poſt pugnam ſcientia; admirandus corporis ingeniique vigor: animi ſine ſuperſtitione probitas, ſua cum prole, innocentia, temperantia, fide, facilitate & humanitate; itē providentia cauta, cunctans, nihilque agens, vel timidè vel tumide, felicitas denique conſilii rationiſq; comes; & auctoritas, comi quadam ſeveritate & ſevera quadam comitate tempe-

rata. Provinciæ à me commemoratæ de iis, quæ ad communem ſpectant ſalutem (nam ea omnibus certatim in pectore eſt & oculis) acturæ, ſingulæ ſuos Hagam (deſtinatum rebus agendis locum) mittunt legatos; vel unum vel plures, pro qua quæque eſt autoritate & potentia, viros pietate inſignes, probitate venerãdos, doctrina ſingulares, rerum experientia plane ſtupendos. Hi vulgata appellatione cum Generales, tum Fœderatarum vel unitarum Provinciarum vocantur Ordines. Hi gubernaculo aſſidentes, navim prudentia ſumma regunt, in qua Provinciæ, quas dixi, tranquilliſſime quaſi vehuntur. Penes hos, ſupremum quoddã ſanctiſſimumque collegium ſtatuentes, tractatio, diſcuſſio diffinitioque eſt rerum, quæ belli, quæ pacis, maximeponderis & momenti. Ho-

rum

rum eſt, adhibitio in conſilium Præfecto, bellum decernere, de pecunia, cõmeatu, armis cogitare; exercitus conſcribere, cõſcriptis peritos animoſoſque dare duces; Ducibus quo, quouſque, quando, quomodo ducendum, prudenter præſignare. Horum eſt, Legatos audire, Imperatoris, Regum, variorumque Principum, pacem facere, fœdera ſancire, quemadmodum factum cum Chriſtianiſſimo Galliarum, ſereniſſimoque Angliæ Regibus, aliiſque Principibus. Horum denique, patriam ut familiam propriam, incolaſque ut filios & tãquam ſe ipſos pie amantium curare eſt omnia quæ ad totius Reip. corpus eiuſque ſalutem pertinent & incolumitatem. Sed ſpecialiorem publici ſtatus, qui apud Batavos, delineationem exhibiturum me ſum pollicitus. Hoc igitur agam; præmonitos

 cupiens

cupiens lectores, quę de Batavorum regimine ſum dicturus, ea in reliquis etiam fœderatis Provinciis habere locum: omnia tamen apud Batavos eſſe ſpecioſiora, ſolidiora, & maiorem ſingulis ineſſe ſplendorem & apparatum. Batavis, ſui, quum res Romana ſtaret, juris, amicis fratribusque, quod veteres docent Inſcriptiones, populi Romani, circa annum D CCCC XIII, præeſſe cæperunt non abſolute & imperioſe, ſed limitata poteſtate, Comites. Eorum primus fuiſſe legitur Theodericus, ab Carolo Simplice miſſus, Frãcorum monarcha, uti contra futiles Hiſtoriographos rectiſſimis argumentis probat in ſuis Annalibus Vir nobiliſſimus, rerumque hujusmodi peritiſſimus, ut qui digniſſime præfectum agit cuſtodiendis antiquiſſimis patriæ noſtræ chartis & monumentis, Janus Douſa,

Douſa, Nortvici Toparcha. Theodericum ſecuti ſunt illuſtriſſima progenie, cum fœminæ, tum maſculi circiter xxx: iis perpetuo legibus, ut privilegia, immunitates, uſus, conſuetudines, juraque omnia ſarta tecta fideliter conſervarent: quæ ſanctiſſime ſemper ab omnibus cuſtodita primus, ab aliis circumductus, violavit Philippus Hiſpaniæ Rex, cui ea propter, ut antea obiter indicavi, imperium publicè fuit ademptū anno cIↄ Iↄ lxxxi, die menſis Julij xxi. Ab eo tempore principatus fuit penes Ordines: qui quicquid eſt juris publici gubernant vel univerſim per ſe, vel ſpeciatim & diſtinctis muneribus per alios. Per ſe quidem coactis comitiis. Comitia nihil aliud, quam conventus eorum, qui poſt acceptos examinatosque præcipuos, de quibus agendum, articulos, cum ab

nobilibus, tum ab civitatibus deleguntur ad conſultandum inter ſe de iis, quæ ad commune bonum, & omnium ſpectent ſalutem. Conſtituunt autem comitia duo membra, partim Nobilium, partim Civitatum legati. Inter Nobiles primi nunc loci ſunt Brederodii; olim antiquiſſimi cenſebantur Waſſenarii; potentiſſimi Egmondani: ſequuntur Brederodios Scagii, (veniam precor ſi peccem in ordine) Aſſendelfii, Douſæ, Warmontii, Poelgeeſtii, Matenefii, & alii, Ex Nobilium claſſe ſiſtere ſe cõſueverunt adſiduo in Ordinum comitiis non pauciores tribus. Civitates, qui ſuos ad conventũ ablegant deputatos, non pauciores ducibus, ſex ſunt maiores; Dordrechtum, Harlemum, Delphi, Lugdunum Batavorũ, Amſtelodamum, Gouda: quædam item minorum gentium; Zuyt-

Hollan-

Hollandiæ quidem, Roterodamum, Gorichemum, Schiedamum, Schoonhovia, & Briela; Noort-Hollandiæ autem Alcmeria, Horna & Enchuſa. has præter Nobiles moris eſt ordinaria ad comitia convocare. Quoties autem de contributionibus, de ineunda cum hoſte pace, de indicendo bello, deque mutando Reip. ſtatu eſt quęſtio, reliquis etiam minoribus, ſolenniter evocatis, jus conceditur ſeſſionis & ſuffragii. Conveniunt autem Ordines ordinarie ſingulis trimeſtribus, intermediis etiam nonnunquam temporibus, ſi neceſſitas flagitat: idque Hagam, quæ Comitiis Batavicis ab omni tempore cõſecrata: quemadmodum nunc Neomagum, nunc Zutphania, & Arnhemiũ, Gelricis; Middelburgum, Zelandicis; Friſicis, Leovardia; Trans-Iſulanis Vollenhovia; Ul-

traiectinis & Groningenſibus urbes cognomines. Comitiis prudenter dirigendis præeſt, qui auguſta appellatione nominatur Advocatus Provincialis. Hic Hagæ habens domicilium, non alio, vel in Hollandia, vel alibi, quam quod impoſitum, fungens munere, apud civitates, pagos, collegia, privatosque omnes incolas cum Hollandiæ, tum aliarum regionum neutrarum ſe gerit partium, nemini obligatus: curare quantum fieri poteſt ſolitus, ut jura, privilegia & conſuetudines Provinciæ, Ordinumque auctoritas illæſa ſerventur. Huius eſt omnia Ordinum comitia prope obſervare, iiſque ſtato tempore, niſi morbus, aliave neceſſaria cauſa impediat, intereſſe: Huius, congregatis Ordinibus, prima comitiorum die, brevibus ea; de quibus agendũ, cum viva voce, tum ex ſcripto com-

commemorare; de ſingulis nobiles, civitatumque delegatos ſententias rogare, eaſque fideliter notatas ſumma ſilentii fide legere, & poſt rationem, quæ prævaleant indicare, ut quod facto opus, fiat. Huius denique eſt catalogum omnium actorum conficere; conſtitutiones omnes, idque genus alia, quæ alicuius ponderis, extendere; intra octavum poſt ſingula comitia diem nobilibus, ſinguliſque civitatibus actorum omnium, quę præteritis nata comitiis, ut exſcripta mittantur curare. Ordines ſolenniter coacti, præſtito fidelitatis & ſilentii juramento, quæ propoſita in maturam vocant deliberationem. Ea ad certa referri poſſunt capita. Conſueverunt igitur agere de contributionibus, conſenſionibus, ſubventionibus, idque genus aliis; de obligationibus vel tem-

porariis vel perpetuis, quibus incolę huius regionis eorumque bona obligantur; de mutando regionum reique publ. ſtatu; de pangenda pace faciendiſque induciis; de bello indicendo; de fœderibus ineundis; de alienandis, cedendis, donandis, quæ ad regionem pertinent, rebus; de ſtipendiis & honorariis conſtituendis; de conficiendis novis decretis; de rogandis abrogandiſque generalibus conſuetudinibus; de conferendis publicis muneribus; de remittendis publicis debitis; de varianda publica moneta; de augendis extraordinariis contributionibus, de concedendis alicui civitati, pago, collegio, privilegiis. Alia, ne ſim prolixior, prætereo. In ſuffragiis autem ferendis, primæ debentur Nobilibus; ſecundæ Dordrechto, tertiæ Harlemo; quartæ Delphis; quintæ Lugdu-

duno; ſextæ Amſtelodamo; ſeptimæ Goudæ; octavæ Roterodamo; quod deinde minores reliquę ſequuntur. Ex ordine ſuam quiſq; ſententiam declarat, eiuſque rationes ſine aliorum interruptione, & quod maior pars decernit, ratum habetur. Et ſic quidem admirandum hoc florentiſſimæ Reip. corpus per ſe gubernant univerſum Illuſtriſſimi Ordines: qui quum ſingulis tantum trimeſtribus, ut antea dixi, convenire ſint ſoliti, & intermediis temporibus frequenter ea incidunt, quæ dilationem vel morā non patiuntur, perpetuos habēt deputatos, quorum continua quaſi & ceſſante nunquam opera res adminiſtrant cum terreſtres, tum maritimas. Priores quidem deputati vocantur collegæ, poſteriores conſiliarii Admiralitatis. In deputatorum collegio ſex ſunt, qui ex nobilibus & præcipuis

puis

puis civitatibus legi conſueverunt in annum, jurejurando obſtricti, ſe quicquid iniunctum ipſis cum diligentia & fide, nulla habita perſonarum ratione, ſervaturos; nemini ſe obligaturos, ab nemine honoraria, penſiones, dona qualiacunque accepturos. Horum eſt de Provinciæ ſtatu, omnibuſque quæ incidunt, cum Præfecto Provinciæ communicare, eidem fidele, quodq; Reip. eſt bono, conſilium ſuggerere, ad commodum vel proprium vel alterius quod egregium publicum poſſet remorari, non attendere. Item quæcunque in Ordinum comitiis vel juſtitiæ tuendæ, vel politiæ ſtabiliendæ conſtituta ſunt, ut exſecutioni mandentur, gnaviter curare. De omnibus quæ ad regiónis ſtatum pertinent, & vel Præfecto, vel aliis non ſunt reſervata, maximo Reip. commodo deliberare: ad

ea,

ea, quæ maximi momenti moram non patiuntur, Ordines extra ordinem convocare. Eorundum eſt, ut pax, concordia, amicitiæ inter urbes, agrorum univerſitates pagoſque ſerventur; &, ne qua per aliquem vis frauſque fiat Ordinum conſtitutionibus, ſpecialem adhibere diligentiam, Rogare porro ut non ſolum delicta militaria, verum etiam exactiones concuſſioneſq; eorum, qui poteſtate præditi, rigidè puniantur: utque contra ſeditioſos, rerumque novatores, quique aliquid contra Reip. ſalutem moliantur, abſque ulla conniventia procedatur, inſtare. Ipſorum etiam eſt, armorum omnium, quæ in publico armamentario, fidelem habere catalogum: ut cõſtituta præſidiario militi pulveris tormentarii, fomitiſque igniarii quantitas tradatur, neve quid armorum limitaneis opidis deſit,

ſit, adniti: ut denique paſſim in Hollandia munitiones & propugnacula exſtruantur, eaq; ſartatecta conſerventur, ſedulo curare. Habent iidem, ne illud prætercam, cognitionem & juriſdictionẽ controverſiarum, quæ publicarum impoſitionum, ſubventionum, penſitationum & ſimilium occaſione moventur, nulla conceſſa appellatione: item abſente Præfecto, cauſas omnes iudicant terminantque quæ pertinent ad captivos, prædaſque militares, & alia, quæ inde oriri & manare ſunt ſolita. In adminiſtratione ſua hunc ſequuntur ordinem, ut primo ſuſcipiant conficiantque, quæ regionis totius; deinde, quæ civitatum, & collegiorum, poſtremo, quæ ptivatorum. Conſiliariorum, quos antea nominavi Admiralitatis, qui ex præcipuis civitatibus ſenarium conſtituunt nume-

numerum, eſt elaborare, ut conſenſus ſit ipſis mutuus & amica conſpiratio cum Archithalaſſo, Ordinibus ipſis , & Ordinum Deputatis, eoſque opera fideli & bono juvent conſilio : oculis menteque ab emolumento privato proprioque cõmoda averſis. Eorum eſt, ſummo ſtudio intendere, ut ad navigationis ſecuritatem , liberum maris uſum, cuſtodiamque *Hollandiæ* fluminum, conveniens ſemper ſit & idonea claſſis: ut eadem claſſis perpetuo bene ſit inſtructa omni apparatu bellico, tormentis, pulvere, aliiſque ad navaliá prælia hoſteſque pulſandos neceſſariis: ut denique publici per mare fluvioſque commeatus negotiatoribus aliiſque iter aliquo facientibus non ſegniter præſtentur. Eorundem eſt peritos maritimæ rei Præfectos, duceſque cum maiorum tum minorum gentium con-

conquirere, iiſque jurejurādo fidelitatis obligatis ad agendum mandata præſcribere. Cognitionem habent ſententiæque abſq; ullo provocatione dictionem, cum de fraudibus, dolis, impoſturis, quæ in publicis commeatibus ſolent deſignari, tum de controverſiis, quæ inter navales ſocios oriri conſueverunt. Poſtremo quæſtiones liteſque terminant de prædis ſpoliiſque maris: de mercibus naufragorum in mari repertis, de debitis, quæ contraxiſſe, quam diu merent, deprehenduntur duces ſociique navales, de piratis prædonibuſque, de delictis denique, criminibus, erratis in mari fluminibuſque perpetratis. Jam quo pacto negotia, quæ ad juſtitiam ſubditis impertiendam, quæ ad dirigendas pecuniæ publicæ rationes, quæ ad conferenda feuda beneficiaque Principalia, quæ
ad

ad regendũ ſaltus, ſilvas, aquas, aliaque iis, quæ hactenus commemoravi, conſentanea, quo pacto, inquam, ea Illuſtriſſimi Ordines adminiſtrare per alios conſueverint, ut jam nunc explicem, temporis, quo circumſcribor, brevitas non patitur. Sed quærere jam poſſet aliquis, cui trium civilis adminiſtrationis formarum noſtra hæc, hactenus paucis & ſupremis coloribus à me delineata, conveniat? Non contendam, eſſe ſimpliciter monarchicam, non ariſtocraticam, non democraticam; allatis in medium ſpecioſe iis omnibus, quæ pro cujuſque præſtantia & dignitate dici cõſueverũt. Rogari interim me ſentio ex formula, quæ in habendo apud veteres Romanos ſenatu uſurpari ſolita; Dic, quid cenſes? Ingenue dicam. Abſit ſiniſterior, quam contra mentem meam promovere poſ-

L ſit

ſit invidia, interpretatio. Cenſeo Batavorum Remp. temperatam eſſe ſalutariter ex triplici genere laudabili, Regali, Optimate, Populari. primi quidem notas eſſe in ſummo exercituum noſtrorum Ductore, cuius arbitrio & nutu omnia poſt acceptum imperium militiæ terra marique gubernantur. ſecundi ſigna eſſe in ipſis Ordinibus, qui de omnibus rebus agundis conſilia ineunt, viasque iis bene feliciterque perficiundis cum cura diligentiaque ſternunt. tertii denique eſſe indicia in ipſis civitatibus; queis non præconſultis majora negotia inſolens tractare, nefas pertractare. Plura non debeo. ſufficiant illa, exque paucis deducantur multa.

F I N I S.

DECRETUM
ORDINUM
HOLLANDIÆ ET WEST-FRISIÆ,
DE ANTIQUO JURE Reipublicæ Batavicæ,

1587

Nunc primum ex vernaculo Latine redditum.

[illegible] Google

DECRETUM

DE

MAIESTATE ET ANtiquo Iure Reipublicæ Batavicæ.

EQUESTRIS ORDO, Nobiles, & Hollandiæ Weſt-Friſiæque Urbes, repræſentantes earundem Provinciarum Ordines, prudentiâ deliberatione habitâ, & re communicatâ cum Nobilibus & ſingularum Urbium Senatu, eorumque ſuffragiis & reſponſis, ſuper præſenti harum regionum ſtatu, diligenter expenſis; cum fidei, jurisque jurandi, tum officii ſui nomine, bonum factum cenſuerunt fore, ſi diplomate publico legitimum Hollandiæ Weſt-Friſiæque imperium omnibus exponeretur: cer-

to ſibi perſuadentes, lectores omnes & ſingulos benevolentiam favoremq; calamitoſo Patriæ noſtræ ſtatui convenientiſſimum adhibituros eſſe.

Conſtat, in Hollandiâ Weſt-Friſiâque & Zelandiâ, octingentis retro annis, Comites utriuſque ſexus ſummis imperii rebus admotos fuiſſe; quibus ab Equeſtri Ordine, Nobilibus, atque Oppidanis, Ordines earundem regionum conſtituentibus, ſupremum jus dominiumque traditum ab antiquo fuit, & legitime delatum. Illi autem ea moderatione ac prudentia Rempublicam geſſere, ut nunquam de bello indicendo, aut pace tractandâ, de tributis & vectigalibus imponendis, aliiſve de negotiis publicis quidquam attentarint, abſque conſilio & conſenſu Nobilium & urbanorum magiſtratuum; qui ſemper ad

Comi-

Comitia publica evocabantur. qnamvis & ipſis non deeſſent conſiliarii aulici, indigenæque alii viri graves atque idonei. Atque his ſuis domeſticis non obſecuti tantum Principes, ſed & illis Senatoribus, qui ex Dynaſtiis ſuis & oppidis ad comitia vocari, benigneque ſemper & cum applauſu exaudiri ſoliti, quotieſcunque negotium incidiſſet quod ad Rempublicã pertineret. Atque horum omnium auctoritas pro lege fuit, & frænum quodammodo Principatns.

Hoc fundatum bonis legibus regimen, juſtumque ante alia, ac nulli ſecundum, inſignes profecto fructus publico, & peculiarem honorem ipſis Comitibus attulit. Ut qui tantillæ Provinciolæ præfecti ſummam apud omnes Chriſtiani orbis principes exiſtimationem, laudemque

conſecuti ſint; tantaque in dignatione fuerint, ut fœdera non tantum, ſed & nuptias cum potentiſſimis Regibus ſæpenumero contraxerint. Adde, quod anno poſt milleſimum ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Gulielmus, eius nominis II. Hollandiæ Comes, Rex & Romanorũ Imperator electus ſit. Denique non parum ad eorum gloriam & virtutem facit, quod triumphatis hoſtibus victores plerumque è bello domum redierint; limitibus ſuarum provinciarum, adverſus quoſcunque hoſtes, quamtumvis præpotentes, fortiter defenſis. Hinc imperium maieſtatemque Principum Hollandicorum vicini omnes plurimum reverebantur. Quin immo aſſeverare veriſſime poſſumus, Hollandiam Selandiamque à nemine hactenus, quà externo, quà inteſtino bel-
lo,

lo, ſpatio quidẽ octingentorum annorum, ferro ſubactam, aut alterius imperio ſubditam fuiſſe. In quo an ulla alia Regna & Reſpublicæ (*Veneta fortaſſe an excipienda*) gloriari nobiſcum poſſint, etiam atque etiam dubitamus. Invictæ vero huius maieſtatis robur in ſolâ Ordinum cũ Principe concordiâ, amore, & animis cõſpirantibus poſitum profitemur, & libenter agnoſcimus. Comitum alioqui potentia invalida, niſi Nobilium & Civitatium deſtinis fulciretur. Nullæ enim his opes, præterquã Dominiorũ reditus, ad ſublevandam *Aulam*, aliaque publica munera ſuſtentanda.

Accepimus etiam à maioribus, quâ auctoritate Ordines Comites ſuos, ſi malos conſultores ſecuti exorbitaſſent, in viã reduxerint: non ſolummodo demonſtrationibus & expoſtulationi-

tionibus exhibitis: Verum etiam ſi ſalubria monita negligerentur, adiectis pœnis & animadverſionibus in capita illorum, qui Principum auctoritate nequiter abuſi deliquiſſent, & eos ſeduxiſſent. Cuius rei exempla multa & varia circumferuntur.

Clare quoque perſcriptum eſt, Principibus pupillis & impuberibus Tutores ab Ordinibus appoſitos fuiſſe. Quemadmodum etiam, cum Gulielmus V, eius nominis Comes Hollandiæ, per animi ægritudinem imperio minus idoneus eſſet redditus, ab iiſdem ipſi Procurator, & populo Rector datus eſt.

Extra omnem denique controverſiam eſt, ſupremam poteſtatẽ atque adminiſtrationem Reipublicæ penes Ordines ſemper fuiſſe, ſi quando provinciæ Principe defuncto, vel eo impubere, vel mente capto, aliave de cauſſa

Domino

Domino ſuo deſtituerentur. Nã in tali caſu ab Ordinibus genti caput datum, quem Tutorem ſive *Ruvvardum* vocabant. Quod ipſorum jus tempore adhuc dominationis Burgundicæ obtinebat. Cum enim Maximilianus Auſtriacus ſtatim ab exceſſu Ducis Caroli & filiæ eius Mariæ res novas contra jus antiquum moliretur, & apertâ vi anniteretur auctoritatem Ordinum convellere, Rempublicam ipſam in extremum prope diſcrimen conjecit. Cæſar Carolus, donec minorennis eſſet, Tutores à provinciarum Ordinibus, provinciæque ipſæ ab iiſdem ſuos Gubernatores accepêre. Imperator idẽ maieſtatẽ Ordinum (quamquam libertas priſtina durante dominatione Burgundicâ multifariam diſtracta ſit atque imminuta) magno in honore & pretio ſemper habuit; quod probe intelligeret

geret non aliter ſe ſuaque poſſe conſiſtere. Quocirca & filium ſuum Regem Hiſpaniarum crebris adhortationibus commonefecit, & ad mitiora conſilia prudentiamque pellicere conatus eſt, proteſtatus verbis diſertiſſimis: Quod tum demum ſero intelligeret ſtatum imperii ſui periculoſe admodũ laboraturum, quamprimum Ordinum auctoritatem parvifaceret. Et nunc ille dictionem patris re ipſa veriſſimam experitur, ingenti ſuo & provinciarum damno. Neque alia Belli Belgici cauſſa, aut tumultuum origo, in medium adferri poteſt; (quidquid vulgo cõtra diſſeretur) quam quod vi armatâ per Hiſpanos & alios exoticos milites extorquere à nobis voluerit, quod comitia Ordinum publicæ utilitati adverſarium judicarent.

Quæ licet ſint extra omnem diſpu-

diſputationis aleam poſita, nihilominus è re noſtrâ eſſe, ſi hic repeterentur, ideo exiſtimavimus, quod multi in lubrico hærentes ſeorſim ab his abeant, Ordinum comitia non alio fere dignantes honore, quam quod dignos ipſi cenſent ad ea delegatos, reſque in iiſdem ventilari ſolitas. Haud aliter reputantes, ac ſi delegati illi è Nobilibus & Opidis ſeſe pro Ordinibus ingererent, & ſibimetipſis tanquam Ordinibus ſupremum imperium deferentes de ſummis Reipublicæ negotiis pro libitu ſuo diſponerent: contortâ omnium actorum invidia in ipſos ceu privatos. Sed qui præmiſſa, reſque alias arduas à Principibus Ordinum faventiâ geſtas, propius inſpexerit, & attente conſideraverit; præſertim ea, quæ quindecim annorum proxime elapſorum curriculo in Hollandia Weſt-

Fri-

Friſiaque & Selandia evenêre, non in xx. aut xl. plus minus capitũ, ad comitia confluentium regimine & auctoritate, Ordinũ maieſtatem ſitam eſſe facile animadvertet. Ipſi etiam Agentes in rebus Regis Hiſpaniarum, huiuſcemodi argumentorum machinis Rempublicam noſtram evertere, Ordinumque auctoritati detrahere identidem allaborantes, re ipſa demum didicerunt in eo ſe graviſſimè erraſſe, ac opinione falſos fuiſſe.

Ut igitur in medium proferatur ac liquidius demonſtretur unde ea pullulet ac deſcēdat Ordinum auctoritas, ſciendum eſt, omnes omnino Principes, quotquot unquam præfuerunt, non tantum ex delatione, conſenſu, & volentibus Provincialium animis, imperium auſpicatos eſſe; verum etiam ita continuaſſe, ut omnia corporum membra, qui-

quibus ipſi tanquam capita impoſiti, illibata hactenus & ſarta-tecta permanſerint. Quod jactari à nobis vix poſſit (cum fere Principes quorundam vafritie atque ambitione corrumpi ac circumveniri ſoleant) niſi Ordinibus prompta ad manum eſſent remedia, quibus recte atque ordine malis artibus obviam iretur: & Princeps non ſolum officii ſui in cuſtodiendis privilegiis, & tutandâ publicâ ſalute, omnium nomine admoneretur; verum etiam ſi ad tyrannidem declinaret, ab ipſa Republica oppugnaretur. Atque eum in finem bipartiti ſunt Provinciales, & in Ordines duces diſtribuit; in Nobiles videlicet, & Civitates.

Nobiles membrũ unum conſtituunt, tum ſtemmatis ſplendore ac gentis dignitate (quæ tanta, abſque jactatione, eſt, & tã vetus, ut nulla alibi illuſtrior)

tum

tum Dynaſtiis & poſſeſſionibus per has regiones ſparſis. In quibus Dominiis ſupremam, mediam, & infimam præfecturam ſive juriſdictionem omnes ad unum ferè ſoli habent atque exercent. Hi è re natâ in unum cõveniunt, de ſtatu publico deliberaturi: & in comitiis una cum Civitatium legatis in commune bonum patriæ conſulunt.

Unus idemque eſt fere cunctis civitatibus regiminis modus. nimirum.

Collegium ſenatorum urbicorum (à prudentiâ *Vroedſchappen* vocant) ex inſignioribus civibus & patriciis eligitur; numero alibi XL, alibi XXXVI, alibi XXXII, XXIIX, XXIV, aut XX non excedente. Atque hæc collegia antiquitate cum ipſis civitatibus certant; aut certe monumenta, originem ipſorum prodentia, obliterata ſunt. Cooptati in eum ordi-

ordinem eo munere quod in vivis ſunt, aut civitate gaudent, fruuntur. In mortuorum vero aut demigrantium loca alii, ad explendum numerum, ex ipſis civibus communi collegarum conſenſu ſurrogantur. Penes hęc ſola collegia deliberandi, conſulendi ac decernendi de negotiis tam provincialibus quam urbicis, jus poteſtaſque eſt. Quodque in iis collegiis deliberatum, conſultum & decretum, à tota plebe volentibus animis admittitur. Nec quiſquam id infringere, nedum impugnare unquam auſus.

Eliguntur in his collegiis quotannis ordinarii Magiſtratus; quatuor videlicet, treſve, vel duo Conſules; & ſeptem aut plures Scabini (ita Judices appellant,) annuo muneri fungendo. Hi in quibuſdam civitatibus abſolute eliguntur: in quibuſdam vero

 dupli-

duplicato numero nominantur: ex eo numero geminato Gubernator provinciæ eligit illos ſeptem vel plures (quos diximus) Judices.

Munus Conſulum, imperare rebuſque politicis adeſſe, tam in adminiſtrandis bonis urbicis reditibuſque, quàm in conſervandâ publicâ ſalute.

Scabini juſtitiæ adminiſtrandæ vacant: & penes ipſos ſupprema, media, & infima juriſdictio eſt.

Penes hæc Magiſtratuum collegia ſummum imperium eſt per Hollandiæ, Weſt-Friſiæ & Selandiæ civitates. idque fere ubique pari modo. Ita ut Principes regionum iſtarum nihil quidquã ſibi vindicarint, præterquam jus Prætoris creandi, qui ipſorum nomine juſtitiam exſequeretur.

Hic ſtatus ipſiſſimus Reipu-
blicæ

blicæ urbium Hollandicarum ac Selandicarum.

Unde certò colligi poteſt, collegia hæc Magiſtratuum & Senatuum urbanorum, coniuncta cum Nobilium conventu, univerſum ſtatum totumque corpus Provincialium repræſentare. Nec ulla alia regiminis forma facile inveniatur, quæ meliori cognitione cauſæ de rebus publicis ſtatuat, decernat, aut ſua decreta maiori concordiâ, auctoritate, ac conſenſu exſequatur. Quamobrem nemini mirum videri debet, ſtatum harum provinciarum nunquam mutaſſe, & nulli alii facile de perpetuitate ceſſurum.

Ut vero hæc nobilium & urbium collegia apte congregentur, & conſilia communicentur: nullâ re id commodius, quam per eorundem delegatos effici poteſt. Quotieſcunque igitur

res ſeriæ incidunt, quæ ipſorum opem & conventum requirunt, jam tum ad comitia conſcribuntur, atque evocantur, literisque unà præcipui articuli & capita inſeruntur. Quibus in collegia ventilatis & expenſis, decretoque ſuper iis facto, tales quibus maximè fidunt, ad preſcripta comitia ablegantur, cum poteſtate conſulendi ac decernendi quæ potiſſimum ad cõmune bonum & provinciarum commoda ſpectare judicabunt. Nobiles ſolenni & competenti numero ſe ſiſtunt. Civitates verò Conſulem cum nonnullis Senatoribus, idque eo numero, quem rei moles poſtulare videbitur, delegant. Atque his delegatis, durãte bello, (ob varias neceſſitates) univerſim incumbit, res omnes quæ ad publicam ſalutem & patriæ conſervationem pertinent, cognoſcendi, pertractandi, deque iis

iis omnibas ea ſtatuendi, quæ maximoperè bono Reipublicæ faciant. Præſertim jura, immunitates & privilegia conſervandi, & quæcunque eadem infringunt propulſandi atque amoliendi Hi porro delegati, cùm ad hunc. modum convenêre, exhibent nobis Ordines: non quòd ipſi per ſe aut propriam auctoritatẽ Ordines ſint, ſed quòd à potentioribus collegis id muneris iis ſit demandatũ, & auctores alios agnoſcant. Nec temerè credendum eſt, quemquam ſuo ambitu eo poteſtatis ſe promoturum. Nam præterquam quòd populares ab hoc ambitu & ambitioſis omnibus naturâ ſuâ abhorreant; tale quid in liberam electionem cadere, à vero profectò alienum eſt. Nedum ut quiſquam in rebus hiſce adverſis, cælitus immiſſis, rerum earum cupidine deflagraret, quarum adminiſtra-

tio nil niſi ſummas difficultates ſecum vehat. Unde etiam malevolentium, qui præſtantiſſimos quoſqne fideique ſpectatæ viros falſis perſuaſionibus ſeducentes, ſæpenumero ſiniſtram de optimis patriæ adminiſtris opinionem concitarunt, inimicitiæ odiaque veniunt, ſine ullo emolumento, exſpectanda. Qua de cauſa mandatorum hoc onus inter munera neceſſaria redigendum fuit. Et ſane quibus Reipublicæ noſttæ ſtatus aliquatenus innotuit, conteſtari facile poſſunt quantis molitionibus & machinationibus ad onera hæc ſuſcipienda delegati ipſi urgeri & cogi quodammodo ſoleant.

Iidem delegati dimiſſis comitiis actuum rationes auctoribus ſuis exacte reddere tenentur.

Hoc Reipublicæ noſtræ fulcrum, cui Hollandiæ, Weſt-Friſiæque & Selandiæ ſtatus quin-

gentis,

gentis, ſexcentis', ſeptingentiſq; & amplius annis, iuxta vetuſtiſſima quæque monumenta, innitebatur. *Hoc illud ipſum eſt*, quo iidem Status ſecundũ Deum opt. max. in tantis bellorum diſcriminibus adverſus potentiſſimum hoſtem unanimes animos hactenus obfirmarunt. Ita ut tempore huius belli nullũ prorſus membrum non niſi ſummâ vi à corpore noſtro avulſum, nullæ unquam civitates tumultuatæ, nulli milites in ſtudia cõtraria ſciſſi fuerint. Cuius poſt Deum omnipotentem nulla alia ratio reddi debet, quam quod maturatis conſiliis de plano levatoque velo res omnis peracta ſit. Unde accidit, ut multis etiam minoribus oppidis, quæ ad comitia antiquitus non vocabantur, certe iis, quæ intereſſe voluerunt, loca ſuffragiaque libera conceſſa fuerint. ut ita, cum ſin-

gulis de adminiſtratione Reipublicæ conſtaret, onera (quibus alioqui ferendis impares videmur) æquanimiter tolerentur, unioque inviolatè cuſtodiatur. In quem quoque finem Nobilibus & Civitatibus liberum fuit eo quo viſum numero ſe publico conventui ſiſtere: dummodo eſſent ii è Senatu maiore; exceptis, qui privilegiis excipiuntur.

Quod ſi quis demonſtrare poſſit aliquem ex Nobilibus & Urbium delegatis contra præſcripta & ei mandata deliquiſſe (quod nos latet) omni tempore coram ſuis auctoribus cauſſa dicenda eſt: & nolenti cauſſam dicere, pœna ex legibus impendet. Et qui bonâ fide talia detegunt, optimos cives & Patriæ amantiſſimos æſtimamus. At qui Ordines ſuggillant & calumniantur, acta ipſorum contemptui &

riſui habentes, graviter profecto hallucinantur, ſi exiſtiment, ſibi cum nobilibus & delegatis urbicis, tanquam hominibus privatis, rem eſſe, niſi unâ operâ oſtendant aliquem eorum extra præſcriptos limites evagatum eſſe. Et quamquam plurimis per imprudentiam & innocentiam id genus calumniæ excidat, impune tamen ipſis eſt: Patriæ vero hoſtes declaramus, qui ſtudio & conſulto id agunt, in hoc unice incumbentes, ut ſubſtructionibus & fundamentis per cuniculos quaſi concuſſis, ipſa domus tandem ſubruatur & collabaſcat: cum damno tam Principis, quam publici boni. Primo namque, quænam Principis poteſtas ſine ſubditorum conſenſu? Ecqua convenientia ipſi cum populo? ecqua ipſi ſubſidia ab eo exſpectanda, ſi eo ſe pertrahi atque abduci patiatur, ut cum ipſis

Ordinibus, qui Commune repræſentant, vel (ut ita loquamur) cum populo inimicitias exerceat? Secundo, quo pacto ſtabit Reſpublica, ſi populus eo adducatur, ut ipſis Ordinibus, id eſt, Nobilibus, Magiſtratibus & Senatoribus, qui ſubditorum legitimi patroni & tutores, quique in defenſandâ plebe Principum iras in ſe non raro provocant, adverſetur.

Unde ingenuis & cordatis omnibus liquido liquet, Rempublicam nullos peiores magiſve nocentiores aut pernicioſiores in ſinu fovere hoſtes, quam eos qui ſeſe univerſo Statui totis viribus opponant. Sed tales eos eſſe non cenſemus, qui demonſtrent aliquem ex delegatorum numero commiſſionis ſuæ, cuius antea meminimus, limites exceſſiſſe, aliove modo officio ſuo defuiſſe.

Quapropter notum ſit omnibus, nos, qui penes Ordines ſummum imperium eſſe declaramus, non intelligere híc privatos delegatos, ſed auctores ipſorum: videlicet Nobiles & Civitates, quas ſecundum demãdata ii repræſentant. Id quod in contractibus cum Ordinibus Generalibus multi Principes & Poteſtates, ipſaque ſereniſſima Angliæ maieſtas, excellentiſſimuſque Gubernator, cum Præfecturæ inaugurararetur, optime intellexerunt: nec à quoquam mortalium controverti aut in dubium vocari debet. Itá ut impetrare à nobis non poſſimus, ut credamus etiamnum exiſtere qui ſanis rationibus contrarium tueatur. Alioqui ſequeretur, Nobiles, Magiſtratus, Senatoreſque maiores non nunc eadem qua olim (quod iam antea aſſertum) & nuper in contraictbus Anglicis

Anglicis & admittendo Gubernatore, ſummi imperij exercendi poteſtate valere : & non ſolum contractus cum Anglis, verùm etiam quæçunque Ordines cis annos quindecim pro libertate fortiter fecerunt, in controverſiam vocari poſſent. Quod non niſi hoſtes noſtri ſunt facturi.

Hiſce omnibus ſatis ſuperque liquet, quàm neceſſe præ cæteris ſit auctoritatem Ordinum ſartam tectam conſervari, ceu baſim imperij, cui tota ſalus Reipublicæ innitatur. Quæ profectò ſine maximo Reipublicæ noſtræ detrimento violari non debent. Unde perquam manifeſtum, ſummum rerum imperium non minus hodie quàm antiquis Principum temporibus penes Ordines ſtare.

Decretum Hagæ-Comitis

XVI Julii, ſtatutumque S.C. fieri quod exhiberi poſſit. Actum Harlemi XVI Octobris CIↃ IↃ LXXXVII.

Subſcriptum:

Ex mandato Ordinum Hollandiæ,

Subſignatum:

C. de RECHTERE.

Lud. Guiciardini,
Itali,

HOLLANDIÆ SELANDIÆQUE DESCRIPTIO.

Ex tertia ac poſtrema Auctoris recognitione Italica, Latinitate donata.

Inſerta ſunt elegantiſſima
Casparis Barlæi
V. C.
Vrbium præcipuarum Encomia.

COMITATUS HOLLANDIÆ DESCRIPTIO.

Hollandia pars veteris Bataviæ.

HOLLANDIA, exigua quidem terrarum portio, ſed magnis ac eximiis rebus plena eſt. Magnus in ea luculentarum civitatum, magnus item inſignium pagorum eſt numerus. incolę utriuſque ſexus robuſti & proceri. pecudum maxima multitudo. opes potentiaque permagna. in primis autem aquis, foſſis, atque aggeribus, aperiri viciſſim & claudi conſuetis, regio hæc redditur munitiſſima, adeoque fortaſſis invicta. Sita eſt in

ea Inſula, quam Bataviam olim dixerunt, à Batone filio Regis Cattorum. qui, ut ſcribit Cornelius Tacitus [*Hiſtor. lib.* IV. *& de Moribus Germanorum.*] è Germania in hanc ſedem migrarunt. Bataviæ vero nomine veniebat omnis ille terrarum tractus, qui continebatur inter utrumque cornu Rheni, & mare Oceanum. ita ut præter Hollandiam complecteretur & ditionem Ultrajectinam, & ſeptentrionalem partem Ducatus Gelriæ. atque hoc modo temporibus Imperatoris Caligulæ proprium erat regnum Batavorum, prout narrat Suetonius, dicendo, Adminium Cinobellini regis filium, pulſum à patre, cum exigua manu tranſfugiſſe ad Romanos. Retinet autem hodieque priſcum vocabulum inter Culenburgum, Buram & Tilam, opida Gelriæ. ubi nempe eſt illa ditio, quam incolæ,

voce

voce nonnihil corrupta, vocant *de Betuvve.* Plinius [*lib.* IV. *cap.* XV.] nobilem Inſulam Batavorum appellat.

Hollandiæ Etymon.

Unde adſumſerit recens nomen *Hollandia*, variæ ſunt doctorum ſententiæ. probatiorum nonnulli *Holtlandiam*, ſive *Houtlandiam* prius dictam contendunt, id eſt, ligneam, ut ſic dixerim, terram. volunt enim ſilvis admodum denſam fuiſſe, & molliore pronuntiatu dictam *Hollandiam*. alii, quibus ego conſentio, compoſitum adſerunt nomen è duabus hiſce Teutonicis vocibus, *hol*, quod eſt cavum, & *land*, id eſt terra. quaſi tu concavam terram dixeris. quia nempe, ſi curru aut equo per eam incedas, palam multis in locis obſerves ipſum ſolum contremere, nō aliter quam ſi aquis ſupernatet.

 cuius

cuius rei manifeſtam fidem faciat admirabilis quidam caſus, qui duobus abhinc annis accidit prope Harlemum; ubi cum media fere ab urbe leuca in loco mediterraneo paſceretur, ut fit, quædam vacca, & fortuito caſu in foveam eſſet demerſa, triduo poſt inventa eſt mortua in lacu urbi ad Orientem propinquo. unde judicabatur è terra in aquã demerſa, & ab hac porro tranſportata, habuiſſe tandem hunc exitum. Quod ſi mirum fortaſſe, vel etiam incredibile videatur cuipiam, tantum terræ ſpatium velut fundatũ eſſe in aquis: palam tamen apparet, ipſam, ſi non omnino, at ſaltem ex parte (forte ob naturalem terræ cum aqua coniunctionem) non aliud habere fundamentũ quam aquã, eæque velut inniti. quod nominatim videmus in ea Hollandiæ regione, quam *VVaterlandiam*,

id

id eſt, terram aquaticam vulgo appellant, in qua opidum Monachodamum, una cum aliquot pagis, è regione urbis Amſterodami. Quin in Arthefia quoque ad Divi Audomari vaſtiſſimus quidam eſt lacus, cui compluria innatant terræ ſegmenta, velut paſcua quædam & prata, ea magnitudine, ut pecudes oberrantes admittant. cum tamen is lacus non habeat corpus aut amplitudinem ſuſtinendæ huic terrarũ maſſæ reſpondentem: prout habet Oceanus. ita quidem ut iſta, etſi prima fronte videantur naturæ repugnare, revera tamen non pugnent: cùm videamus quotidie, in fodiendis puteis aliisve id genus foſſis, terram in aqua fundatã eſſe. Sed quo magis firmetur hæc noſtra ſententia, videamus, quid de hac terræ & inſularum, adeoque vaſtiſſimorum nemorum in aquis flu-

ctuatione, tradiderit Plinius, arcana ſane naturæ miracula non ſine animi voluptate intellecturi. Hæc ergo eius [*lib.*II.*cap.*XCV.] ſunt verba: *Quædam inſulæ ſemper fluctuant, ſicut in agro Cæcubo, & Reatino, Mutinenſi, Statonienſi. In Vadimonis lacu, & ad Cutilias aquas opaca ſilva, quæ nunquam die ac noctu eodem loco viſitur. In Lydiâ quæ vocantur Calaminæ, non ventis ſolum, ſed etiam contis quo libeat impulſæ, multorum civium Mithridatico bello ſalus. Sunt & in Nymphæo parvæ, ſaltuares dictæ, quoniam in ſymphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. In Tarquinienſi lacu magno Italiæ duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus, quadratam nunquam.*

Hollan-

Hollandiæ termini.

Hollandiæ ab Septentrione & Occaſu clauditur mari Oceano: à Meridie Moſam habet & Brabantiam: ab Ortu partim eſt lacus Flevi, vulgo *de Zuyderzee*, partim Ducatus Geldriæ. ſic ut peninſulam vero, non autem, uti quidam dicunt creduntque, inſulam Batavorum efficiat.

Soli cœlique ingenium.

Irrigatur maximis fluviis Rheno & Moſa, qui compluribus velut ramis & cornibus alia paſſim atque alia adſciſcentibus nomina, eam pererrant. Quibus incolæ tamen non contenti, maximam ipſi naturæ artem atque induſtriam, adjecerint; factis paſſim tot tantiſque canalibus, alveis, incilibus foſſis, aliiſque id genus aquagiis, ut non omnia tantum opida, ſed & pagi pleri-

que terra ſimul & aqua commode poſſint adiri. Regio ipſa paluſtris, & ſtagnis, lacubus, ſinibus, paſſim referta. in qua mare una cum cornibus Rheni varias paſſim efficit inſulas, ſuis quaſque vocabulis quidem diſtinctas, ſed generali tamen Hollandiæ nomine, uti ſupra jam diximus, comprehenſas. Cœlum, non obſtante ingenti aquarum copia, & ob ventorum ſalubritatem mariſque ſalſedinem, & ob maximam habitationum, aëra, ut Venetiis quoque contingit, purgantium, denſitatem, benignum apprime & clemens. Solum adeo humile atque depreſſum, ut omnia pœne flumina, omnes maiores & reciprocum maris æſtum admittentes foſſæ, ne videlicet ipſam terram inundent, aggeribus clauſa ſint. unde multis in locis, non ſine ingenti admiratione, aquas videas longe

quam

quam terra ſit altiores. Eſtque in tantum aquoſa hæc tellus, ut maiori ex parte pauciſſimas tantum arbores, fruges etiam pauciores producat. etſi antiquitus tamen, adeoque Diocletiani & Maximiani Imperatorum temporibus, legatur ſilvis admodum denſa fuiſſe: nec legatur dumtaxat; ſed in partibus mari ereptis, vel ab eo *derelictis*, hodieque ſub terrâ *ingens juveniatur* proceriſſimarum ſimul & vetuſtiſſimarum arborum copia, obrutarum, ut quidam exiſtimant, à procellis & tempeſtatibus, quo tempore pater Oceanus, multis poſt *Julium Cæſarem ſæculis*, terram hanc inundavit. quod accidiſſe comperior triennio ante quam Carolus Calvus, ut poſtea dicam, erexiſſet eam in Comitatum, id eſt anno Chriſti IↃ CCC LXIII. quando nempe tam ſpurca in eam tempeſtas, tamque hor-

 ribi-

ribiles & monſtruoſi debacchati ſunt venti, ut inde ab illo jam tempore, ſolum aquis plurimum illic regnantibus obrutum, ac multo quam ante depreſſius, indolem etiam atque naturam mutaverit. quæ tanta eius humilitas atque aquoſitas in cauſa eſt, ut tritici admodum parum, ſecalis etiã minus producat. quo utroque tamen frumento uſque adeo quidem abundat, ut complures Provincias eo impertiatur, ſed invecto nimirum cum ex aliis mundi partibus, tum nominatim ex Dania & terris Septentrionalibus, vulgo dictis Ooſtlandia. Vinum tellus non gignit; cuius maior tamen in ea eſt copia, proque incolarum numero, etiam uſus, quam in ulla Provincia illud gignente. ſed importatur videlicet aliunde, & præcipuè vinum Rhenanum. Linum terræ negatum eſt, tamen maior

in

in ea conficitur linteorum tenuium vis, quam in ulla totius mundi plaga. ſed nanciſcitur linum ex Flandria, nonnumquam & terra Leodicenſi, item Ooſtlandia, etſi non ea bonitate, qua ipſum vernaculum. Lanarum pæne eſt expers, cum innumeros tamen conficiat pannos, & præſertim villoſos, ſuppeditantibus ipſi lanas Hiſpania, Anglia, Scotia, nonnumquam & Brabantia. Materiam non producit, & plura tamen in ea ſtruuntur navigia, plures lignei aggeres, aliaque id genus opera, quam in reliqua omni, pæne dicam, Europa. ſed ligna ſubmittit præſertim Ooſtlandia, cum Provinciis adiacentibus.

Opum Hollandiæ fundus.

Fundus, & ut ſic dixerim, fundamentum opum, & fructuum huius terræ (præter uſtibilem ceſpi-

ceſpitem, qui in *venis* ſive fodinis magna copia eruitur) in pratis conſiſtit & paſcuis pecori nutriendo ſaginandoque perquam idoneis. unde numeroſiſſima hic multitudo equorum præſertim, item vaccarum & boum. Equi vaſto inprimis ſunt corpore, & quamvis capite aliquantulum graviores, admodum tamen pulchri, atque utibiles, & præſertim in bello. quin & indies fiunt meliores: conantibus ſcilicet incolis jam ab annis aliquot retro ipſam ſobolem emendare, & Hiſpanicis aliiſque præſtantis generis equis naturales ſuorum defectus explere. moris autem, eorum complures, ſtatim ut *facti* ſunt grandiuſculi, educandos mandare in Friſiam: quoniam experimento compertum eſt, quod & Arioſtus noſter alibi indicat, & fortiores eos & alacriores in paſcuis illis evadere: cum

interea

interea equi in Friſia ipſa progeniti, non ſint ea corporis pulchritudine præditi, qua ii quos dedit Hollandia. rem profecto conſiderabilem! quod nimirum in tanta terrarum vicinitate, tanta inveniatur naturæ diverſitas, ſitque regionum iſtarum altera generando magis, quã educando, altera rurſus enutriendo magis, quam producendo huic pecoris generi opportuna. Boves Hollandici magnitudine juxta & forma laudabiles. eadem quoque de vaccis eſt ratio. quarum ex lacte ea conficitur caſei ſimul & butyri vis, ut non niſi qui coram adfuerit, oculiſque aliquatenus uſurpaverit, induci umquam poſſit ut credat. Certum eſt, pretium ex utroque lactario per Hollandiam colligi ſolitum, jure merito comparari cum eo quod reddunt aromata, quæ in Belgicam importari ſolent è Luſita-

ſitania, etſi horum, ut in Antverpia oſtendimus, in millionem quotannis, & eo amplius, abeat ratio. Neque hoc mirum videbitur ei, qui vel ex unico iſto exemplo de re tota voluerit judicare: quod videlicet unus Hollandiæ pagus, Aſſendelfium nomine, unica Bevervico, Harlemo duabus leucis abiunctus, quatuor millia ſoleat numerare vaccini pecoris capita, quarum ſingulæ quidem, æſtate hibernã inopiam compenſante, binos quotidie lactis reddant canthaxros, vel ut vulgo appellanr ſtopas. Jam vero ea lactis ubertas, quam reddere perhibent quatuor alios pagos, Aſſendelfio *pæne* conterminos. Oſtſanam nempe, Weſtſanam, Crommeniam, & Crommenierdicum, tam eſt přorſus immenſa, ut non auſim eam memoriæ prodere. illud quidem apertè conſtat, factam haud

haud ita pridem inter honeſtos aliquot viros, quorum in numero & Joannes Benningius fuit, Hollandiæ Conſiliarius, factam inquam fuiſſe ſponſionem, ac reipſa compertum, quinque illos prædictos pagos, Aſſendelfio nempe intrante, maiorem quotannis lactis copiam reddere, quã ſit ea vini Rhenenſis, quod Dordrechtum ſolet conduci: etſi huius liquoris, ob publicum ejus in hoc opido Belgicæ totius emporium, immanis plane & admirabilis vis ſit. Diſtribuitur vero hæc tanta caſei butyrique multitudo primum per totam hanc Belgicam, ubi maxima ſane copia utriuſque abſumitur: atque hinc in Germaniam porro, inque Angliam, atque Hiſpaniam. Conflatur deinde & ingens pecuniarum ſumma ex ceſpite illo uſtibili, qui ex Provincia iſta quotannis evehitur. quod vel ex

vecti-

vectigali illo facillime colligas, Goudæ ſolito pendi, ac ternis amplius ducatorum millibus in ſingulos annos locari: etſi perpuſillum tamen ſit pretium quod in quamque menſuram imponitur. ita quidem ut numerus menſurarum myriada longè excedat: iis quæ aliis terræ partibus exportantur, & vectigal hoc alibi ſolvunt, tum & maxima illa ceſpitum vi, quam cives in proprios ſuos uſus convertunt, in huncnumerum non intrantibus.

Piſcatio, & navium numerus.

Subſiſtit præterea tellus perpetua illa maximaque piſcatione navigationeque, peculiaribus plane propriisque Hollandorum profeſſionibus. in quos etiam adeo momĕtoſos fines ſola Hollandia amplius octingentas habet juſtæ magnitudinis corbitas, id eſt naves, quæ ſingulas minimum,

mum, nonnullæ quaternas & quinas, plurimæ autem ternas in ſummo malorum faſtigio præferunt corbes, & ut minimum fere centenas, ad ſummum trecentenas & quinquagenas laſtas, quas dicimus, ſingulæ capiunt. habet hinc ſupra ſexcentas naves minores, ex earum genere, quas Latine ſcribentes halecarias, ipſi *Buſas* appellant, quinquagenarum, vel ut plurimum centenarum laſtarum capaces.

Hollandiæ ambitus, & opidorum ac pagorum numerus.

Patet autem hæc regio, quam Hollandiam proprie dicimus, in circuitum leucas circiter ſexaginta. latitudo nuſquam eſt tanta, quin conſtitutus aliquis in quacunq; telluris parte, ſex eam horarum ſpatio poſſit emetiri. & anguſto tamen hoc ambitu viginti & novem includit opida

muris clauſa : Dordrechtum nempe, Harlemum, Delfos, Leidam, Amſterodamum, & Goudam, primarias terræ totius urbes: hinc Enchuſam, Hornam; Alcmariam, Purmerendam, Edamum, Monachodamum, Weſopiam, Nardam, Woerdam, Oudewateram, Schoonhoviam, Iſelſteinium, Vianam, Lerodamum, Aſperam, Heuclemium, Goricomium, Worcomium, Heuſdam, Roterodamũ, Schiedamum, pauloque inferius Gertrudobergam, & Sevenbergam. Præter hæc opida muris cincta habet & quædam opidula, qualia Medenblica, Bevervicum, Muda, Neoportus, Vlardinga & Graveſanda, quæ & ipſa muris aliquando fuere circumdata: ſed cum externis hoſtium bellis, tum civili diſcordia, aliiſque id genus calamitatibus, vel in totum, vel maiori ſaltem ex parte reſtãt

iis

iis exuta: etſi tamen iiſdem adhuc gaudeant privilegiis, eodemque habeantur loco & gradu, quo tunc cũ mœnibus clauderentur. Habet denique ſupra quadringentos pagos, & inter eos complures, qui, excepto quod mœnibus careant, non adſpectu tantum & forma, ſed conditione quoque & jure mediocribus opidis pares ſunt. talis, ut mox dicturus ſum, nominatim eſt Haga.

Inſulæ aliquot juris Hollandici.

Extra vero hoc territorium, vel ut melius dixerim continentem, invenias in Hollandiæ ditione etiam aliquot Inſulas. quarum præcipuæ, ſi Septemtrionem adſpicias, Flevolandia, vulgo *het Vlielandt*, juxta Flevum, oſtium quondam Rheni: Teſſalia, vulgo *Texel:* & Wiringa, cui nomen

à voce *VVier*, algam ut volunt ſignante, cujus tanta ibi eſt copia, ut & aggeres ea ſartos-tectos conſervent. Ad Ortum, in ſinu quem vocant *de Zuyder-zee*, ſunt Urcia & Enſia, pagis quibuſdam inſeſſæ. Ad Meridiem inter Mervam & oſtium Moſæ ſunt Vornia, vulgo *'t Landt van Voorn*, Goereda, Somerdica, quæ & ipſa dicitur Vornia, Corendica, & *Piershil*.

Ordines Hollandiæ.

Ordines hujus Comitatus cõſtant è terræ Nobilibus, & ſex primariis Civitatibus. Sed pergamus deinceps ad peculiarem ſingulorum membrorum deſcriptionem. & primo quidem expediamus ordine urbes illas primarias.

DOR-

DORDRECHTUM.

DORDRECHTUM perveſtuſta huius Provinciæ urbs eſt, ſita in ipſo Mervâ. quod flumen quia ex Rheno, Moſa, & Linga urbem præfluentibus naſcitur, non deſunt qui adſerant, quatuor eam adiacere fluminibus. qua ipſa imagine nuper fuit expreſſa, cum anno 1549 ingrederetur eam in felicibus ſuis auſpiciis Hiſpaniarum Princeps Philippus, ſubſcripto hoc diſticho:

Me Moſa & VValis cum Lingâ Mervaque cingunt.
Æternam Batavæ virginis ecce fidem:

Utut ſit, redacta eſt inter has ipſas aquas in Inſulæ formam, idque anno demum cIↄ cccc xxi, quo tempore Vahalis ſimul & Moſa, exæſtuante in eos Oceano, ex agro antea inter hanc

ipſam urbem & Brabantiam interiecto, effecerunt immenſum illum aquarum gurgitem: abſorptis violenter ſeptuaginta duobus egregiis pagis, & in iis plus centum hominum millibus, qui cum omnibus ſuis fortunis miſerando illo diluvio perierunt. Recuperantur tamen paulatim & vindicantur ab undarum injuria nonnullæ agrorum hoc clade adobrutorum partes, idque propria quadam hiſce hominibus & laudabili admodũ ratione, de qua poſtea in Selandiæ deſcriptione dicturus ſum. Capitur ex jamdicta occaſione in eodem hoc *Mervva*, (*Mervveda* ſive *Mirvveda* in antiquis monimentis) præter alia quędam optimorum piſcium genera, acipenſerum ſalmonumque immenſa vis: qui largiſſima etiam copia capiuntnr in lacu Flevi, & præſertim ad opidum Campas. Dordrech-

drechtum Gouda quidem non niſi quatuor, Ultrajecto ſeptem leucis abjunctum eſt. opidum pulchrum, dives, potens, ampliſque & elegantibus ædificiis denſum. primarium eius templum, eximia hercules ſpecie, Deiparæ Virgini ſacrum eſt. Dordrechtanus fuit Guilielmus Lindanus, Epiſcopus Ruræmundenſis, in Gelria: qui magna ſua cum dignitate & laude, nec minori emolumento, electus poſtea fuit in Epiſcopum Gandavenſem. Eſt in hac urbe emporium, vel ut Itali appellamus *ſtapula* vini Rhenenſis: item grani, ſeu frugum, quæ Gelria, Clivia, terra Juliacenſi, aliiſque provinciis mediterraneis, importantur. ſic ut non una de cauſa Dordrechtũ mercimoniis floreat, ſitque amplum ſimul & civibus frequens. Quia vero in hac noſtra deſcriptione crebro facimus mentio-

nem *ſtapularium*, quibus equidẽ noſtro ſermone non facile aliud dederim nomen, operæ pretium eſt, quo melius capiamur, lectori exponere, quidnam tandem ſit *ſtapula*, quæque conditiones eius & jura. *Stapula* igitur vox eſt origine Gallica, quã ipſi dicunt *eſtaple*, ducta ſignificatione è numero plurativo Latini nominis *ſtabulum*. ſignificat autem communiter forum, ſeu locum publicum in urbe aliqua deſignatum, quo Principis auctoritate & privilegio, vina, frumenta, aliæque merces exoticæ vendendi cauſa convehuntur. verbi gratia, Atrebatum Artheſiæ *ſtapulam* habet vini ex Gallia in illas oras terreſtri itinere convehi ſoliti. quod neceſſum propterea, ut negotiatores prius eo conducant, & in uſum emturientium per aliquod tempus in foro venum exponant, quã alio poſſint transferre. lapſo

autem

autem hoc tempore, & perſolutis Reipublicæ vectigalibns, civibuſque ut fas eſt proſpecto, vina quocumque viſum eſt avehunt. Middelburgum Zelandiæ *ſtapulam* habet vinorum ex Gallia, Hiſpania, Luſitania, Provinciis cæteris, in hanc Belgicam advehi ſolitorum. quare tenentur tam nautæ quam negotiatores naves ſuas vinarias eo advertere, & vina in actam illam exponere. unde porro vectigalibus rite depenſis, ea quo lubitum eſt, tranſportant. Privilegia *ſtapularum* Dordrechtenſium id potiſſimum ſanciunt, ut quicumque vel Rheno vel Moſa conducunt aliqua vina, frumenta, materiem, aliaſve id genus merces, & præter urbem hanc navigant, naves in eius portu exonerent, perſolutiſque inibi debitis vectigalibus, merces in civium naves impoſitas, quocumque viſum
 eſt,

eſt, tranſvehant. niſi tamen cum publicanis aliter paciſcantur. Licet autem hæc privilegia hodie multum inter ſe diſcrepent, idque pro mercium juxta & urbium quibus conceſſa ſunt ratione: omnia tamen à prima ſui origine vetus *ſtapulæ* nomen conſervant. Cumqne variæ paſſim in iis quæ ſitu maximè opportuna ſunt Belgiæ opidis habeantur huiuſmodi *ſtapulæ*, non poteſt quin ſumma tam publicè quam privatim in Principem ſubditoſque inde redundet utilitas.

DORDRECHTUM.

A Me Batavicus ſuffragia prima ſenatus,
Conſiliiſque petit provida verba ſuis.
Quondā merſa mari mediis emergere nitor
Fluctibus, & ſiccos Veſta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & æquoreus fit minor uſque Deus.
Merva meis miſcetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur, & Vahalis flumina Moſa bibit.

Huc

Huc Tengri merces & ferri munera mittũt,
Et Nemetis plenis muſtea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam transmigrat in urbem,
Vaſtaque Eburonum marmora cæſa iugis.
Quiſque ſuas largitur opes, & dona miniſtrant
Diſtrahit imperio munera tanta meo.
Virgo vocor, quondã furiis illæſa Brabantũ,
Solaque libertas mœnibus hiſce ſtetit.
Tunc Batavas inter vigui non victa ſorores,
Vnaq; dum manſi libera, prima loquor.

C. B.

HARLEMUM.

Conditum fuit Harlemum à viro quodam illuſtri nomine Lemo; unde Teutonica voce appellatum eſt *Heer-Lem*, id eſt, Dominus Lemus. Diſtat Amſtetodamo tribus leucis, eſtque luculentum in primis opidum. in quo inter alia contexuntur quotannis ad duodecim millia panni. Ædificia habet admodum ſplendida commodaque, & plurimis intus foriſque amœniſſimis

mis pratis nemoreque perpulchro decorum eſt. quo fit ut & ſaluberrimo gaudeat cœlo, & propinquo pulcherrimorum pagorum arciumque fruatur adſpectu. Magnitudine reliquas omnes Hollandiæ urbes præcellit, etſi ordine tamen Dordrechto poſterius. Primarium eius templum dicatum eſt D.Bavoni.

In hac urbe, non publica tantum incolarum aliorumq; Hollandorum voce, ſed & ſcriptorum quorundam ſuffragio, aliiſque aliquot monumentis, inventa primum traditur typographia, id eſt, ea librorum formulis excudendorum ratio, quæ hucuſque paſſim in uſu eſt: ſed auctore, ante perfectam & evulgatam artem, extincto, famulus, uti narrant, Moguntiacum abiit. ubi edito levi aliquo artis ſpecimine perbenigne fuit acceptus. Moguntini vero cum ſummo ſtudio

in

in hoc tantum negotium incubuiſſent, conſecuti ſunt tandem integram eius notitiam. unde increbuit poſtea & cum tempore magis magiſque invaluit fama, prodiiſſe ex ea urbe hanc tã inſignem ſcientiam. Ego ſane de rei ipſius veritate nec poſſim nec velim decernere, puta quam ſatis habeam, ut ne urbi regionibus iſti præjudicem, obiter attigiſſe. Harlemo natus fuit Nicolaus Simonius, doctus & venerandus Antiſtes. item Albertus Joannis, ordinis Carmelitarum, vir inſigni doctrina, & complurium operum ſcriptor. Conducta eſt in hanc urbem, narrante Jacobo Majero, & conſentienbus non Hollandiæ tantum annalibus, ſed & publica omnium voce, anno Chriſti M CCCC III, mulier quædam marina, ſive Siren dicenda eſt, nuda & muta; quam ceperant piſcatores in lacu quo-

quodam Hollandiæ, quo videlicet tempeſtatibus agitatum mare ipſam expulerat. veſtita & aſſuefacta paulatim eſui panis, lactis, & aliorum id genus ciborũ, etiam nere & reliquum opus domeſticum exequi didicit, crucis inſuper ſigno honorem, & reverentiam exhibens, alioſque uſurpans ritus, quos à domina docebatur. vixit autem complures annos, ſed muta perpetuo perſtitit. Adfirmant item pro certo, annis abhinc circiter quadraginta, captum fuiſſe in mari Friſico quemdam Tritonem, ſeu, ut vulgo vocant, virum marinum, toto corporis habitu nobis adſimilem, niſi quod barba & cætero capillitio hiſpidus admodum eſſet atq; ſetoſus. aſſueverat autem & iſte tum panis, tum cæterorum in uſu quotidiano cibariorum eſui, etſi initio tradant fuiſſe prorſus ferum, neque feritatem

tatem illam umquam omni ex parte potuiſſe exuere. vixit annos complures, ſed perpetuo mutus, tandemque populari morbo, quem jam ſemel evaſerat, periit. Nicolaus Nicolai, homo antiqua virtute & æde, retulit mihi, præter alia multa documenta, audiviſſe ſe ex Caſparo Lævini, Conſiliario, & quodã Magiſtro Petro, à ſecretis Senatus Hollandiæ, amiciſſimis ſibi collegis, ipſos ſcilicet hominem illum marinum coram ſæpe vidiſſe, & permulta de illo narraſſe.

HARLEMUM.

Victa Pharos, fractique obices, & vincula Nili,
Et Peluſiaco littore fixa ratis,
Serratique mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo ſidere ſurgit honos.
Invidet excuſas populoſa Moguntia Muſas,
Quodq; meũ eſt, laudis iactitat eſſe ſua.
In me aliũ ſolers Batavis miratur Apellem,
Pictaque Parrbaſiâ ſubdola vela manu.
Inventis arguta meis accedit Arachne,
Dædaleoque ſuum pollice texit opus.

Arma

Arma Toletani ſenſi crudelia Martis,
Incubuitque meis civibus atra fames.
Nec ſatis eſt pugnaſſe viros; his maſcula portu
Pro patria mulier ſtat cataphracta ſua.
At fruſtra me Delpha iuvas. ſum præda Philippo,
Barbaricus victa miles in urbe furit.
Hæc didici, voluique pati. Nunc adſpicis hoſpes
Tempora fortunæ proſperiora meæ.
Hic mihi vicina Nereus admurmurat unda,
Et propius colles tollit arena ſuos.
Illic umbroſis ſe condit Delia lucis,
Explicat & latas arbor opaca comas.
Diviſam me Spara ſecat, qui laxior undis
Fit lacus, & vaſtis luxuriatur aquis.
Arridet Natura foris. ſed doctior in me
Æmula Naturæ crebra reperta manus.

C. B.

DELPHI
in Batavis.

DELPHA, vel ut alii vocant, *Delphi*, nomen habet à foſſa, ſeu canali illo aquarum, inde uſque ex Moſa in urbem perducto. foſſam enim iſti vulgo appellant *Delf*. Diſtat Roterodamo duabus

bus leucis. eſtque opidum grande, omni ex parte cultiſſimum, cumque ædificiorum ſplendore, tum viarum etiam laxitate perquam amœnum. templa in eo magnifica valde & ſumtuoſa, quorum primarium ſacrum eſt Divo Hippolyto, viro, ut ipſi perhibent, Italo. Condidit Delphos Godefridus, cognomento Gibboſus, Dux Lotharingiæ, is qui circiter quadriennium occupaverat Comitatum Hollandiæ, cum navali in Moſa prælio victus fugatuſque fuit à Diderico quinto, legitimo terræ Principe. Incidit iſta urbs in graviſſimam calamitatem anno Chriſti cIɔ Iɔ xxxvi, cum fortuito quodam incendio maior ipſius pars, non ſine maximo civium damno, deflagravit. ſed inſtaurata eſt denuo, & in pulchriorem quam antea faciem reſtituta. Viſa in illo incendio & à multis obſervata

eſt rara & memorabilis quædam res, cui ſimilem forte nec noſtra nec priſca vidit memoria. Notat quidem, & merito, Plinius, cum que eo non pauci ſcriptores, ceu rarum quiddam & obſervatu dignum, pullos Ciconiarum, parentibus jam ſenecta defectis, ac volandi impotentibus, de alimentis proſpicere: verum id quod Delphis circa has ipſas aves evênit, longe profecto eſt majus, & memoria dignius. Sita eſt urbs loco admodum commodo harum avium paſtioni: quarum idcirco innumeros fere in domorum culminibus paſſim conſpicias nidos. accidit autem hoc jamdictum incendium quinto nonas Majas, qua tempeſtate pulli jam ſolent eſſe grandiuſculi. ſeniores ergo Ciconiæ, igne jam nidis appropinquante, viſæ ſunt magno primum conatu anniti ſi qua pullos flammis poſ-
ſent

ſent eripere; quod cum horum iam granditas gravitasque vetaret, illæ aut alis expanſis natos tutatæ ſunt, aut nolentes his ſupereſſe, paſſæ ſunt ſe cum iis exuri. Deprehendi poſt illa, Caſparum Veldenium, faceto illo in laudem huius avis ſcripto, peculiarem facere Delphenſis huius hiſtoriæ mentionem, teſtem, vel ſi ſolus ſit, locupletiſſimum Conficiuntur hic magna copia tenuiſſimi quidam ac magni nominis panni. tum & alii viliores, ac raro & craſſo textu. ſed coquuntur præſertim varia melioris notæ zythi ſive cereviſiæ genera. quæ in Selandiam maxime, hinc in alios porro terrarum tractus mittuntur, atque uberrimo quæſtu Delphenſes divitant. Delphis natus fuit abominandus ille *David Georgius*, opificio pictor, ex eorum reliquiis qui Weſtphaliæ Monaſterium pri-

dem infecerant. hic obſcuro prorſus loco natus, neque litteris ullis excultus, eo tamen ingenii fuit acumine, ut non conditor tamen & caput novæ cujuſdam ſectæ extiterit, ſed pro Deo ſe à ſectatoribus fecerit adorari, perſuaſis videlicet, ipſum eſſe verum Meſſiam. habebat iſte uxorem & liberos, vivebatque in ſpeciem ſatis civiliter ac modeſte, ſed revera omnis religionis & probitatis penitus expers. nihilominus (ea eſt in quibuſdam hominibus rerum novarum aviditas, ſimplicitas, levitas: ea contra in aliis tempora & occaſiones captantibus verſutia atque perverſitas) hæreſim ſuam variis monſtroſiſque admodum legibus ſtabilitam per complures Inferioiis Germaniæ partes ita jam ſparſerat, ut non paucos haberet aſſeclas, nec pœnitendum ex iis perciperet quæſtum, dum certatim

tim quiſque novitio Deo quam largiſſime ſtudet offerre. Sed cum detecta eſſet hæc hominis pravitas, & Magiſtratus in eam qua par erat diligentia ſeveritateque inquireret, ipſe Baſilæam profugit, mutato perviam nomine, & ex Davide Georgii factus Joannes à Bruck. quo prætextu malitiam ſuam velans familiam prius, inde plurimos etiam ex amicis atque clientibus eo pertraxit. hos inſtituebat ſecreto; & erudiebat in ſtultiſſima illa religione: abſentes interea litteris nunciiſque quantum cõmode poterat firmans, pluresque ſubinde in partes ſuas pelliciens. Verum cum defeciſſet ab eo quidam è ſuis, ipſe magnopere metuens ne res fieret palam, & poſtea puniretur, ſubitanea morte præ animi ægritudine indignabundus interiit, in jamdicta urbe Baſilæa. quod accidit anno

 1556.

1556, Magiſtratus de toto negotio factus certior, ſtudioſe inquiſivit in hominis vitam, perductoque ad finem proceſſu, ſententia ſua corpus ſic ut mortuum erat perſecutus eſt, publicatis defuncti bonis. Domeſticis, quique præterea culpam agnoſcerent, & religionem urbanam ſuſciperent, clementer ignotum eſt; & totius rei hiſtoria typis orbi vulgata. Contra vero nati ſunt Delphis viri aliquot clari & virtutibus inclyti. quales non ita pridem Ægidius Vates, & Joannes Grammaticus. ſed præ cæteris magnus ille Juris utriuſque Doctor, & idem poëta cultiſſimus, Jodocus Saſboutus, creatus à Carolo Quinto Imperatore Cancellarius Gelriæ; qui vicinus iam morti ſibi ipſe compoſuit epitaphium, quod hodieque videre eſt in primario templo Arnhemienſi: & quia non

ſcitum

ſcitum minus quam pium, hic à nobis adſcriptum:

Siſte gradum quod es, ipſe fui, fortaſſis eris cras,
Quodſum, cadaver putridum.
Olim Iodocus eram Saſbout. me miſit in auras
Delft clara pars Batavia.
Ter denis patria cauſſas decidimus annis;
Pars conſilI haud in gloria.
Deinde & pacatis Præſes jus Cæſare Gelris
Dixi jubente Carolo.
Quid tituli? quid opes? quid nunc ſapientia prodeſt?
Mors ſumma miſcet inferis.
Sola manet virtus homini poſt funera, ſolam
Dum vivis hanc ama. Vale.

Hodie inter litteratos Delphenſes ſuo merito numeratur Arnoldus, Jodoci illius Saſbouti filius Juris utriuſque Doctor, ac perhumanus profecto & comis

admodum vir, qui & ipſe Cancellarius Gelriæ fuit, & poſtea ſummo cum omnium applauſu, ob inſignes virtutes & eximiam ſui præſtantiam, factus eſt Præſes Conſilii ſanctioris. Eſt inde Cornelius Muſius, Præpoſitus Virginum Divæ Agathæ, homo rara quadam virtute & litteratura, magnus Theologus & Poëta cultiſſimus. Extra portam Delphenſem, & ad leucæ duntaxat quadrantem, eſt cœnobium Ordinis Præmonſtratenſium, quod *Coninx-veld* vulgo appellant, priſco alicui Hollandiæ Principi conditum, nec ſæculari minus quam Eccleſiaſtica juriſdictione, & prælauto annuo cenſu locupletatum; in virginum aliquot, nobili ſtirpe prognatarum, Dominas vulgo dicunt, alimentum; quæ priuſquam ſeſe obſtrinxerint ſodalitatis illius ſacramento, liberè, cuicumque viſum

ſum eſt, nubunt. præclarum profecto & venerandū cœnobium.

DELPHI
in Batavis.

NOn ego fatidicis oracula ſuggere Delphis:
Aut mea falſiloquus mœnia Phœbus habet.
Æthereí reſponſa patris do civibus, & me
Relligio, Graiûm non beat iſte furor.
Infelix rapidis flagravi tota favillis,
Cũ rogus, & ſimplex nil niſi flãma forẽ.
Condiderat tantos ſecura oblivio caſus,
Cum Patria media concidit urbe pater.
Quid rides Hiſpane? tui quoque nominis umbram
Cernimus, atque iſte cade Philippe cadis.
Venales animas in mortem inſontis acerbas,
Venditur ac pretio regia fama ſuo.
Nũc tu Belga duos uno ſub marmore Martes
Adſpice, Naſſoviæ nomina magna domus,
Mauritium, Patremque, Duces: hæc numina ſenſit,
Et tutelares terra Batava Deos.
Sed magis Henricum fuerit genuiſſe. quid horres
Cantaber? en patrij funeris ultor adeſt.

C. B.

LEIDA,
Sive
LUGDUNUM BATAVORUM.

LEIDA Delphis abiungitur trium leucarũ intercapedine. eſtq; opidum perantiquum, & juxta quoſdam idipſum quod Ptolemæus quidem *Lugdunum Batavorum*, Antoninus vero noſter in Itinerario *caput Germaniarum* appellat. conſtat certe antiquis temporibus urbem magni momenti fuiſſe, adeoque (ut vocant) Prætoris Romani, cum legione inibi ſubſiſtentis, perpetuam ſedem. à qua ipſa *legione* corrupte fortaſſis deductũ eſt recens urbis vocabulum, quã Latini videlicet *Legiam*, & molliore pronuntiatu *Leidam* indigitant. Sita eſt plano & humili admodum ſolo, & canalibus, foſſis, viridantibus pratis, hortiſque fructiferis omni ex parte

circum-

circumdata. ambitus, præter novẽdecim in ulnas pontibus junctas, triginta & unam includit, cymbis & actuariis navibus circum undique navigabiles. pontes in univerſum numerat centũ & quadraginta quinque, quorum centum & quatuor quidem è lapide, cæteri autem ex ligno. Numeratur, ut diximus, Leida inter ſex primarias urbes Bataviæ. eſtque agri illius caput quem vulgo *Rijnlandiam* nuncupant, novem & quadraginta tum pagos tum vicos territorio ſuo cõplexum. quorum plerique agreſtes ſuas opes in urbem venales importanr, unde ſumma hic rerum è terra naſcentium copia. ſicuti maris quoque leuca tantum abiuncti propinquitas maximam ei ſuppeditat marinorum piſcium abundantiam. fluviatiles vero tam aves quam piſces ubertim ſemper hic proſtant. In

ſum-

ſumma, eſt opidum luculentum, nitidum, & amœno inprimis adſpectu, boniſque & commodis tam privatis quam publicis ædificiis valde concinnum. Summum templum dedicatum eſt D. Petro. Leidæ fiunt quotannis plus duodena pannorum millia. Fœminæ Lugdunenſes forma & candore Batavicas omnes præcellunt. Cœlum quoque Lugduni longe quam alibi uſquam in tota Provincia temperatius. Eſt hic arx quædam, ſeu *Burgus*, cujus cum laude meminit Janus Douſa mox nobis dicendus, dum ſic alibi canit,

Putatur Engiſtus Britanno,
Orbe redux poſuiſſe victor.

Nullæ quidem in Burgo hoc domus, ſed fructibus undique & arboribus cingitur. tum & puteum habet in medio, ea quidem profunditate, ut neſcire me fatear, quomodo ſitus ferendo ſit.

opus

opus eſt valde antiquum, & à Romanis, ut perhibent, conditum. Ab hoc puteo autem & titulum ſimul & inſignia gentilitia deſumſiſſe videntur Illuſtriſſimi Waſſenarii, adeo inclytæ vetuſtatis familia, ut proverbiali ſchemate inter Hollandos celebretur, *VVaſſenaria vetuſtiſſima. Brederodia Nobiliſſima, & Egmonda ditiſſima*. Ne vero intereat tam venerandæ antiquitatis monumentum, diligentiſſime, quoties uſus poſtulat, puteus iſte reficitur, ſartus-tectuſque conſervatur. Leucæ unius intervallo Leidâ diſſidet ipſamet *VVaſſenaria*, inſignis profecto & prænobilis pagus, qui ob melioris ſexus in nobiliſſima ea gente defectum, Dynaſtam nunc habet Comitem Ligniacenſem. Leida natus fuit perfidus ille anabaptiſta *Ioannes Bucholdus*, opiſicio ſartor. qui mira quadam malitia &

& inauditis plane commentis regem creari ſe fecit in Monaſterio, Weſtphaliæ terræ metropoli, anno Chriſti 1534, & poſt varia ibi commiſſa flagitia, miſerabilem ſecum trahentia urbis illius ruinam, captus tandem anno ſequenti, diro ſupplicii genere fuit affectus, prout fuſius ipſi in Commentariis noſtris exequimur. Contra vero edidit Leida complures virtute & eruditione præſtantes viros. inter quos Petrum Blomevennam, Theologum ſummum: Joannẽ Gerbrandi, hiſtoricum adprobum, & aliarum etiam rerum ſcriptorem: Engelbertum Leidenſem, poëtam & litteratorem eximium: Nicolaum Leontium, rhetorem perinſignem: & qui familiam ducit, Janum Douſam, virum nobilem, Toparcham Nordovicenum, utraque lingua doctiſſimum, & poëtam egregium:

gium: quod ex editis pridem viri operibus nemini poteſt eſſe ignotum. Diſtat hinc tantum exigua leuca *Rhenoburgum*, non ignobilis pagus, ubi cœnobium illud ampliſſimum Ordinis Divi Benedicti, eleganti inprimis templo aliiſq; pulcherrimi operis ædificiis omni ex parte concinnum. at non unus tamen celeberrimi huius & penè dixerim unici monaſterii conditor. quin potius quatuor eos enumerant, & in vitrea quadam feneſtra depictos oſtendunt, Didericum videlicet & Florentium Comites, Petronellam Hollandiæ Principis conjugem, & Principem quandam Illuſtriſſimæ domus Saxoniæ. Fuit autem jam inde à prima ſui fundationis dotatum hoc ipſum cœnobium lato in agros & pagos circum vicinos imperio: ita quidem ut eius Antiſtita ſæculari ſimul & eccleſia-

ſtica

ſtica juriſdictione præpolleat, ac ſupremam & infimam, uti vocant, juſtitiam in ſubditos ſuos exerceat, luculento præterea gaudens cenſu. Non admittuntur vero in nobiliſſimum iſtud religioſarum collegium niſi virgines domi nobiles. collegium certe pulcherrimis legibus inſtitutum, & cum religioni, tum & virginum dignitati conſervandæ peropportunum. ubi inter alia multa opera pia & ſancta, ternis in ſeptimana diebus tam multæ ſumma cum pietate diſtribuuntur eleemoſynæ, ut bina & amplius hominum millia per ſingulos illos dies, magno ſane paupertatis allevamento, ex vicinis undique locis eo accurrant. atque hæc quidem publice. nihil attinet enim de ſubſidiis illis hic agere, quæ privatim in certas quaſdam tenuiores familias erogantur. Eſt deinde & aliud, quo cœno-

cœnobium iſtud magnopere commendatur. quod videlicet præter quatuor illos conditores, aliosque perplures Provinciæ Comites, ſepulti in eo ſint varii non Hollandiæ tantum, ſed Selandiæ quoque & adjacentium regionum Dynaſtę. quorum admodum ſplendidos adeoque regales paſſim adſpicias tumulos, epitaphiis & inſignibus gentilitiis exornatos? ſic ut ſub uno adſpectu hic habeas, & magno cum animi gaudio recognoſcas plurimorum illuſtrium Dynaſtarum memoriam. Eſt & aliud quoddam cœnobium Ordinis D. Bernardi, vulgo dictum *Ter-Lee*, ſeſquileucæ fere ab Leida itinere, juxta *Nordvicum* pagum, fundatum ab uno è priſcis terræ Comitibus, & ampliſſimo cenſu dotatum. in quo itidem agunt nobiles aliquot virgines. quibus, ut convenerunt in manus anti-

ſtitæ, nefas poſtea nubere. quare & major earum pars, plane ut Rhenoburgenſes, quo videlicet pœnitentiæ locus ſit, & reſilire poſſint ab inſtituto, profeſſionem quam diutiſſime differunt, religioſe tamen & ea decori præſcripto ſua hic obeuntes officia.

LUGDUNUM.

Crevit ab Auſoniis olim mihi fama triumphis,
Et victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hiſpanus honores,
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra famē, querulos diſcordia cives,
Et falces acuit mors furibunda ſuas.
Vix nocuit ſecurus Iber. quas ſtruxerat arces,
Deſerit, & pavidos excipit nuda pedes.
Dum patria pars magna perit, conſervor ab illa;
Totaque ne pereat, ſic periiſſe cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit ſors iſta receſſus,
Martiaq; imbellis mœnia Phœbus habet.
Pro lituis pax alma placet; pro milite Pallas,
Linguaque Romanos apta referre modos.

Sit

Sit bellum ſenſiſſe ſatis. Iam prælia dicto,
En mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet Pietas : dum pellitur exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta ſinu.
Hoſpitium eũdẽ profugis, atque otia Muſis,
Vis dici doctam me magis, anne piam?

C. B.

AMSTERODAMUM.

Situm eſt Amſterodamum ſub grad.26. minut.44.longitudinis, latitudinis vero grad.52. minut. 4. ad Yam, ſeu Tyam fluviũm, è quo varii paſſim ducuntur per urbẽ canales, inter quos amplitudine ſimul & ſpecie præcellit, ille in medio, quem *Ammerack* vulgo indigetant. Exeunt autem & intrant ab Orientali urbis parte per hos ipſos canales in mare Oceanum, omnes illæ quotquot ſunt naves, quæ per vaſtum illum ſinum ſeu lacum Flevi, Hollandis *de Zuyder-zee*, ex omni pæne Europa, & nomi-

natim ex Belgica, Gallia, Anglia, Luſitania, Hiſpania: hinc Germania quoque, Polonia, Livonia, Norvegia, terris Hanſeaticis, Suecia, reliquoque Septemtrione, maximo in dies numero, ad hunc portum appellunt, & ex eo viciſſim iter in eas oras inſtituunt. unde è ſolo Septemtrione bis in anno adpellere videas ducentarũ ut minimum, nonnunquam & trecentarũ, vario mercium genere, Gedani, potiſſimum, Rivaliæ, Rigæ, & Nervæ oneratarum navium claſſes. ita ut videatur hoc opidum velut publicum quoddam emporium, & ſtupendus omnino negotiatorum portus. in quo ſæpe obſerves conſiſtere ſupra quingentas naves maiores, è variis quidem terrarum plagis appulſas, ſed magno tamen ex parte holcas Hollandicas, & in civium huius urbis peculiõ. qui pulcher profecto

fecto & ſuperbus adſpectus eſt. unde porro conſequitur, maximopere hic vigere commercia, & poſt unam Antverpiam, Amſterodamum primarium eſſe univerſi hujus tractus emporium. Sed quod maxime quis miretur, quodque fidem pæne exuperat; mox ut appulit aliqua ex jamdictis trecentarum & amplius navium claſſibus, eo incolarum eſt opulentia, ut quidqnid illæ advexerint mercium ipſi ſtatim inter ſe coëmant: ſic ut naves intra quintum vel ſextum diem exonerentnr, & ad ſuos illico poſſint reverti. Conficiuntur hic plurima omne genus navigia, & plus duodena quotannis pannorum millia. Edidit iſta civitas doctiſſimum illum Alardum Amſtelredamum, virum è ſcriptis notum. Superſtructa eſt tota urbs prælongis quibuſdam & craſſis quod ſatis ſit palis, fiſtuca & aliis

 machi-

machinis alte in aquoſum illum fundum depactis. unde argute quidam amicus noſter, Si, inquit, videri queat hic fundus, numquam quiſquam amœniorem vidiſſet ſilvam. ferunt autem fiſtucata hæc domuum fundamenta, (tanta ſcilicet iis inſumi ſolet materia, tantum operæ atque laboris impendi) longe pluris conſtare, quam reliquam omnem ſubſtructionem. Amſterodamum tam publicis quam privatis ædificiis admodum ſplendet, maxime autem templis & locis piis. ſumma ædes dicata eſt D. Nicolao, & templum vetus vocatur, vulgo *de Oude Kerck*, ad diſcrimen nimirum alterius, quod indigetant novum, & Deiparæ Virgini ſacrum eſt. urbs cive & opibus potens, ſitu opportuna & plane inexpugnabilis, quia mira quadam & ingenioſa ratione, ac ſine ullo prorſus incom-

commodo, ad latiſſima undique ſpatia poteſt iundari. ita ut aëre, unda, ſitu, & canalium fere ad ſingulos vicos ſimilitudine ſimul & copia, tum & aliis proprietatibus, Venetias noſtras quodammodo referat. In ſumma, non felix minus quam admirandum eſt opidum. de quo doctus ille poëta Nicolaus Cannius, civis Amſterodamenſis, ſcitiſſimos hoſce olim luſit verſiculos, quos adſcribere nobis hic viſum eſt:

Hæc illa eſt Batavæ non ultima gloria gentis,
Amnis cui nomen cui cataracta dedit:
Dicta prius Damnum, rariſque habitata colonis,
Cum contenta caſis ruſtica vita fuit.
Hinc Amſterodamum jam facta celebrior, atque
Fortuna crevit tẽpore nomen itẽ.

Vrbs bene nota prope atque procul
diſtantibus oris,
Dotibus innumeris ſuſcipienda
bonis.
Dives agri, dives pretioſæ veſtis &
auri,
Vt pleno cornu copia larga beet,
Quod Tagus atque Hermus vehit
& Pactolus, in unum
Vero huc congeſtum dixeris eſſe
locum.

AMSTELODAMUM.

URbs ſpacioſa, potens opibus, tectiſque
ſuperba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.
Civibus aucta novis nunquam ſtat finibus
iiſdem,
Latius expanſis mœnibus hoſpes abit.
Invertas, ſit tota nemus. quo condita fundo
eſt,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit ſolertia cura,
Vel natura ſuo parturit alma ſinu,
Illa dabit, totoque parans cōmercia mundo
Nunc emere, & totam vendere ſemet
amat.

Hæ

Has adfert, has trudit opes ſic lucra parantur.
Quid valeat fraus, ſors, ars, mare, terra, docet.
Moſchus, Arabs, Perſa, Maurus, Iudæus, uterque
Quod ferat huc, rurſuſque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumque hæc ipſa pererrat,
Non urbs fixa loco, ſed vagus orbis erit.

C. B.

GOUDA.

GOUDA poſita eſt ad fluvium Iſſalam, ſed non eum quem Foſſam Druſianam in Gelria exiſtimant, in faucibns amnis Goudæ, qui & 'opido fecit nomen. Diſſidet Leida quatuor leucis majoribus, eſtque lautum in primis, opulentum, prævalidum, & frequens quod ſatis ſit opidum, quod complures produxit doctrina & ſcriptis illuſtres viros: quales præſertim Henricus & Joannes inter claros ſcriptores

Trithemii. hinc Guilielmus Hermannus, & Cornelius Aurelius, uterque hiſtoricus & poëta: Hermannus Goudanus, Theologus: Jacobus præterea non ignobilis vates: Theodorus Gerardi, vir litteris & virtutibus clarus, & Reinerius Snojus: omnes viri inſignes, & variorum librorum ſcriptores. Conditam lego hanc urbem anno Chriſti M CC LXXII.

GOUDA.

ISala ſi cedat Vahali, Rhenuſque bicornis
Hæc quoque nata ſuis flumina iactet aquis:
Attamen hunc tellus exornat Gouda ſuperbis,
Læta ſitu, ſtudiis æmula, clara viris.
Hinc natura ferax, illinc concordia cives
Nec ſinit aut inopes, aut nocuiſſe malos.
Templa parat ſpatioſa Deo: nec quilibet illi
Horrendi culpam criminis error habet.
Bella premant alias, hæc eſt ſecurior, urbes.
Nec placidos turbãt tympana rauca lares.
Exulat Odryſius, litui, Bellona, triumphi:
Religio, probitas, pax ſociata manent.

C. B.

Deſcri-

Deſcribamus deinceps reliquas urbes Hollandiæ.

ENCHUSA.

ENCHUSA poſita eſt ad eam maris Auſtralis(*de Zuyder-Zee* vulgo) partem, quæ Friſiam adſpicit, Horna tribus leucis abiuncta. lautum ſane, concinnum, &, quod caput eſt, munitiſſimum opidum, portu prorſus mirabili; quique mole & amplitudine nulli Hollandico cedat, ſpectandũ. ubi ingentem adpellentium undecumque, & viciſſim ſolventium, varii generis navium, quæ maiori ex parte in opidanorum peculio, numquam non videre eſt copiam. Aperuere autẽ nunc recens & laxavere, non ſine immenſo ſumptu & egregia quadã induſtria, portus ipſius fauces, ſtructo intra pomœrium amplo & laxo navali, quo, ſuperbo ſane adſpectu, & ſingulari commoditate,

tate, ingentes ſæpe navium claſſes, coadunantur: diffuſa videliset adeo late maritima hujus urbis potentia, ut, in hoc quidem tractu, vere Oceani regnum poſſideat. Ædificantur hic etiam plurimæ naves, & quemadmodum Hornæ quoque opido huic vicino, aliiſque Hollandiæ locis, adfatim repurgari conſuevit ſalis ratione, poſt paullo in Selandia fuſius explicanda.

ENCHUSA.

ARcta, frequenſque domus nomen mihi fecit & urbem,
Primaque contempta tecta dedere caſa.
Navita me iactat pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terra claudimur, inde mari.
Abſcidit adverſas à noſtro littore gentes,
Et Friſios mediis dividit aſtus aquis.
Albani ſprevi furias, nec victa tyranno
Oceani proles intemerata ſteti.
Pandit vaſta meis Neptunus regna carinis,
Et procul à patria ſedibus exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæq; domi tribuit plurima, porto foras.

Belga

Belga tuos mirare Deos, dū munera mundo
Dividis, ex alio ſidere plura refers.

C. B.

HORNA.

HORNA ſita eſt ad eundem illum ſinum, ſeu lacum Flevi, (*de Zuyder-zee* vulgo) & Edamo duabus leucis abjuncta. opidum peramœnum, dives, & ſic ſatis etiam amplum, tum bono & laxo admodum portu ſpectabile. ſitu vero tum opportunum, tamque & multis ſimul & magnis undique foſſis circumdatum, ut, quod vim quidem attinet, videatur prorſus inexpugnabile: eo magis quod plenum ſit animoſo, & ad quidvis audendum parato cive. Gaudet quotannis menſe Majo anniverſario quodam caſei butyrique mercatu. cuius utriuſque lactarii tanta huc terra marique conducitur copia, ut non niſi qui coram ſpectave-

ctaverit, induci umquam poſſit, ut credat, quam ingens inde cō-fletur pecuniæ ſumma cumque inſignis quædam hic habeatur navigiorum commoditas, non in varias tantum provincias Belgicæ, ſed Hiſpaniam quoque & Luſitaniam, merces illas diſtribuunt. Floret etiam Horna variis opificiis, quæ non minori induſtria, quam commodo ſuo & quæſtu, cives exercent. Horna natus eſt Hadrianus Junius, profeſſione quidem Medicus, ſed in alia etiam qualibet diſciplina verſatiſſimus, poëta perquam eximius, & clariſſimus ſane Philoſophus.

HORNA.

Fortia, cantatus quondam, mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.
Æmula me vultu ſpectas Enchuſa ſiniſtro,
Et cauſam litis me cupis eſſe tua,
Accipe placatas æterno fœdere dextras,
Dum pereat junctis viribus hoſtis Iber.

En

En tecū communeſolū, commune profundū
Navigo & in mediis pabula ſector aquis.
Iam mea Cimbrorum redimunt commercia terræ,
Fœtaque Gotthorū carboſa portus habet.
Nunc onerat noſtras pelagi captura carinas,
Terrenoſque fovet præda marina Deos.
Me ferit, & lædit: me ſervat ab hoſtibus æquor.
Sic ſervaſtis aquæ, ſic nocuiſtis aquæ.

C. B.

ALCMARIA.

ALCMARIA diſtat Harlemo itinere quinque leucarum, eſtque civitas admodum opulenta: quia nempe ex territorio circumiecto, fertiliſſimo illo & armentis prædivite, largior multo caſei butyrique proveniat copia, quam ex alia uſquā Hollandiæ parte. Fuit hæc patria Petri Nannii, docti & clari viri, pluriumque voluminum laudatiſſimorum ſcriptoris.

ALC-

ALCMARIA.

Tota paludoſis Alcmaria ſurgit in undis,
Pulchraque, Verona depereunte, nitet.
Ne Latium præfer Baias, aut Theſſala Tempe.
Græcia, vel campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidũ ſpumãtes adſpicit undas,
Proximaque umbroſas ſpectat Hamadryadas.
Serica Sidoniis decurrunt ſtamina portis,
Hic laſſant Batavas linea fila manus.
Quæq; tegãt nudos velamina ſufficit artus,
Et memores primi nos cupit eſſe mali.
Heſperios ſprevit belli infracta furores,
Baticaque aſſuſis caſtra fugavit aquis.
Pugnavere viri. ſed & hic (ſpectaſtis Iberi)
Fœmina pugnanti porrigit arma viro.

C. B.

PURMERENDA.

PURMERENDA leucæ tantum maioris ſpatio diſſidet Monachodamo, & bona vetuſtate ſpectanda eſt arce, firmo totius illius tractus præſidio. Dynaſtam agnoſcit Comitum Egmondanum.

EDA.

EDAMUM.

EDAMUM adiacet ſinui maris Auſtralis, tribus leucis ab Amſterodamo. opidum hercle haud infimi nominis, in quo plurimæ ſemper ædificari ſolent magnitudine ſimul & ſpecie commendabiles naves. laudatiſſimus quoque in territorio circumiecto premitur caſeus, idque tam incredibili copia, & cum tanto civium quæſtu, ut univerſum opidulum inde locupletetur, & rebus omnibus affluat.

MONACHODAMUM.

MONACHODAMUM leuca tantum prægrandi Edamo abjungitur.

WESOPUM.

WESOPUM ſemileuca dumtaxat diſſidet *Muda*. Sunt autem hæc duo opidula ſitu in

primis opportuna, & neutiquam contemnenda, nec paſcuis tantum in paſtum armenti, ſed piſcatu quoque in uſus humanos admodum copioſa.

NARDA.

NARDA quam & *Nardenum* Latine ſcribentes indigetãt, Muda pariter & Weſopo leucæ tantum majoris intercapedine diſſidet.

WOERDA.

WOERDA diſſidet Leida ſpatio quinque leucarum. opidum arce valide ſatis munita conſpicuum. natus hinc doctus ille Joannes Piſtorius. Ceſſit autem hoc opidum, nupera Regis donatione, Brunſvicenſium Duci Erico.

OUDEWATERA.

OUDEWATERA eidem cum Gouda Iſalæ flumini adjacet, Woerda unius tantum leucæ ſpatio diſſitum. Colligitur autem & in iſtius & in ſuperioris opidi territoriis ingens vis laudatiſſimæ cannabis. unde & in utroque opidulo ; quidquid fere rudentum & retium, ad maximas illas Hollandorum Selandorumque piſcationes requiritur, ſolet elaborari. quæ tam magni momenti res eſt, ut in ea cõſiſtat quaſi fundus & columen fortunarum utriuſque urbeculæ, quæ hac ipſa de cauſſa multos admodum opulentos numerant cives Natus hinc fuit Joannes Palæonydorus, ordinis Carmelitarum, religione ſimul & ſcriptis, magno ſtudioſorum bono vulgatis, toto orbe clariſſimus.

SCHOONHOVIA.

SCHOONHOVIA ſedet ad dexterã ripam fluminis Leccæ, leuca tantum ab Oudewatera. eſtque lautum & nitidũ opidum. laudabili ſatis portu, & piſcatoriis actuariiſque navigiis locuples. Capitur hic, inter cæteros piſces, ingens admodum vis ſalmonum, quorum ſollenne in opido iſthoc emporium, vel, ut vulgo loquimur, *ſtapula*. Natus hinc reverendus ille Joannes de Schoonhovia, cuius meminit inter viros Illuſtres Trithemius. Item doctus ille & venerabilis Anianus, ordinis Divi Dominici, Epiſcopus Aſaphenſis. Ex eodem hoc opido prodiit etiam mater clariſſimi viri Longolii, cuius eximiam claritudinem opidani hoc nomine ſibi adſciſcunt: verum pater revera Gallus. ipſe in lucem editus fuit Mechliniæ,

prout

prout palam in ſcriptis ſuis teſtatur.

ISELSTEINIUM.

ISELSTEINIUM ſemileuca tantummodo diſtat Viana. locus aqua & terra peropportunus, cui & ampla ſatis in pagos agroſque finitimos juriſdictio. ſuper qua indeciſa etiam pendet lis. utrumne à Comitatu Hollandiæ, an vero à ditione Ultrajectina dependeat. Interea tamen Comitatui ſubeſt, & Dynaſtam agnoſcit Philippum Guilielmum, filium Principis Arauſini, Maximiliani, ultimi Comitis Buranorum, nepotem.

VIANA.

VIANA poſita eſt ad lævam eiuſdem Leccæ ripam, & Schoonhovia duas tantum leucas abiuncta. etſi autem ſe jactet pro ſtatu & ditione peculiari,

continetur tamen Hollandiæ finibus. Dynaſta illi Henricus Brederodius, qui à reliqua omni Hollandia ſeparatam, jurisdictioneque & imperio regio liberam prorſus & immunem eſſe contendit. contra inſtante Rege, & ſupremum ſibi in eam imperium vindicante. ſic ut in magno Mechlinienſis Conſilio indeciſa inter utrumq; pendeat lis. Henrico vero ſine liberis nuper extincto, variæ, non de hoc tantum opido, ſed de reliqua omni ipſius ditione, exortæ ſunt lites, de quibus nihil hactenus quidem in alterutram partem ſtatutum eſt. Natus hinc magnus ille Theologus, Guilielmus Vianenſis.

LERODAMUM.

LERODAMUM adſidet flumini Lingæ, ſemileuca tantum ad Aſpera. territorium autem

tem

tem habet trans flumen, quod propterea vulgo dicunt *het landt van Dam.* quo pacto, ex trito iſtorum ritu etiam aliæ quædam opidorum Hollandiæ nomina ſolent formari. Dynaſtam habet eundem Buranum.

ASPERA.

ASPERA eſt ad prædictum Lingam, & Huclonio ſemileuca dumtaxat abiungitur. Præterlabitur autem urbeculam fluvius ea ſuavitate, ac tam leni ſuſurro, ut hoc loci *Amoris* ſibi cognomen invenerit, dicaturque *de Liefde.* Paſſa eſt Aſpera, Caroli Gelriæ Ducis temporibus, atque adeo anno à Chriſto nato 1516, extremam quamdam calamitatem. Gelri ſiquidem, comitantibus eos non paucis ex ipſa Hollandia perduellibus, eam adorti, poſt diutinam oppugnationem, & ſtrenuam incolarum

protectionem, tandem vi & manu armata invadunt, tanta edita hominum ſtrage, tamque immani crudelitate in omnes promiſcue ſævientes, ut nec ædibus ipſis ſacris abſtineretur, neque fœminis, una cum parvulis liberis confugientibus, parceretur, & ut paucis abſolvam, ut ne laceſſiti quidem & irritati graviter Turcæ inhumanius fuerint ſævituri.

HUCLONIUM.

HUCLONIUM Reginoni *Hercules* (vulgo eſt *Huculin*) dicitur & conditum anno jam tum IↃ CC LXXXVIII. ſitum eſt ad eumdem Lingam, ſemileuca quidem ab Lerodamo, Schoonhovia vero tribus & ſemi. Arcem habuit ſatis inclytæ vetuſtatis, quam fundatam volunt ab Hercule Allemanno. plures enim viros fortiſſimos Herculi fuiſſe cogno-

cognomines, etiam pueris notum eſt.

GORICOMIUM.

GORICOMIUM diſtat Schoonhovia tribus leucis, eſtque ad dexteram ripā fluminis Rheni, quod eo loco Vahalis dicitur, in ipſo adeo Lingæ, quem diximus, oſtio. opidum quidem prælautum; & arce valide ſatis munita conſpicuam. ea condita fuit ſub Florentio IV, Hollandiæ regulo, ab Joanne Dynaſta Arkelio. qui incolas pagi Wolfortii juſſit veteres ſuos lares deſerere, ſeque ad arcem iſtam recipere, & in ejus dumtaxat confiniis ædificare. quod cum ſedulo ipſi feciſſent, ille mœnibus ſtatim & foſſis locum clauſit, & Goricomii nomen impoſuit. Spectantur è ſumma turri, præter innumeros pagos, viginti & duo opida muris clauſa, Philippi Regis im-

perio ſubdita. pulcher profecto & memorandus adſpectus! Celebratur hic quotidianus quidã caſei butyrique & aliarum rerum eſculentarum mercatus. unde ex iſto portu incredibilem fere annonæ vim, cum in alias quidem partes, tum Antverpiam maxime deportari conſpicias. opidanis non modo negotiatores, ſed & nautas plerumque agentibus, & ſupra modum hunc diteſcentibus. Goricomio natus fuit Henricus Gorichemius, vir Theologico ſtudio nobilis. item clariſſimus ille Joannes Harius, qui etſi non admodum litteratus, ea tamen & pietate, & in litteras virtuteſque fuit affectu, ut per omnem ætatem, ſumma quidem cum diligentia, nec minori impenſa, conquiſiverit undique & congeſſerit admirandam plane omne genus librorum bibliothecam. Erat egregius iſte vir

Cano-

Canonicus Goricomienſis; ſed beneficio Cæſaris cooptatus fuit in Collegium illud Canonicorum, quod in egregio illo municipio Hagenſi, & ſacello ibidem aulæ Principalis. quo cum larem ſuum transferret, & una tot libris inſtructam bibliothecam, populus admirari, ſtupere, fateri denique, numquam ſe credidiſſe, vel in toto terrarum orbe tot volumina reperiri. quare & inditum homini cognomentum *Ioanni cum libris*. Hagæ poſtmodum annos complures vixit, & bibliothecam ſummo ut antea ſtudio ivit auctum. quam moriens tandem anno circiter 1532, teſtamento legavit eidem Carolo Quinto Imperatori. Oſtenditur juxta hoc opidum locus, in quo caſtra meatum ferunt Herculem Allemannum. unde & territorium coniunctũ, bonis aliquot pagis inſeſſum, ad hunc

hunc uſque diem vulgo audit *Ager Herculeus*, ita enim interpretor voces illas Teutonicas, *'t Landt van Arkel.*

GORICHEMUM.

ADſpicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem,
Quem Vahalis, vel quem flumine Linga vehit.
Adſpicit, Heſperiis qua propugnacula bellis:
Quem fremat excuſſu machina crebra pilis,
Adſpicit adverſo quantum ſe opponat Ibero,
Invigiletque ſuis Martia dextra focis.
Sic didicit bellare ſibi, nec milite ſolum
Tuta, ſed ipſa ſuis civibus eſſe cupit.
Erkeliis quondam ſubmiſit ſceptra Dynaſtis:
Hac quoque iam damnans nomina, tota ſua eſt.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam cuſtos aſſerit, iſte leo eſt.

C. B.

W O-

WORICOMIUM.

WORICOMIUM adiacet lævæ jamdicti Vahalis ripæ, Goricomio pæne adverſum. eſt autem in ditione Comitis Hornæ.

HEUSDA

HEUSDA ſive *Heuſdanum*, Woricomio diſtat duabus leucis. arcem habet ſic ſatis egregiam. tum & amplum in pagos aliquot circumiectos imperium. In campis urbi vicinis & Capellam verſus porrectis eruitur copioſe uſtibilis ille ceſpes, qui vulgo *Turf* dicitur.

ROTERODAMUM.

ROTERODAMUM propinquum eſt Moſæ, & ad Roteræ, unde nomen deſumit, fauces. Vetuſtiſſimam urbem eſſe, & à conditore Roterio rege denominatam tradit Robertus Cœnalis.

nalis. cui adſtipulatur & Abbas Trithemius; qui fundatam vult anno à nato humani generis Redemtore Iↄ ccc i x, & ſepultum in ea Roterium illum, vigeſimum tertium regem Francorũ. Schiedamo unius, Gouda trium leucarum intervallo abjungitur; opidum valde munitum, lautum, concinnum, & pannificio ſatis florens: civibus denique & prænitidis ædificiis denſum. ſummum templum, ſacrum eſt D. Laurentio, pulchra profecto & ſumtuoſa ſubſtructio. Hoc opidum patriam habuit doctiſſimus ille & celeberrimus vir Deſiderius Eraſmus Roterodamus, plurimorum voluminum ſcriptor; qui obiit Baſileæ, anno à partu Virginis 1536. Dum ad exitum properaret hoc opus, Roterodamum gravi afflictum eſt infortunio. ſiquidem caſu exortum incendium, breviſſimo tem-

temporis ſpatio, plus nongentas domos, ac non paucas etiam naves, cum non neminis morte, & graviſſimo omnium damno, abſumſit, quæ omnia tamen (ea eſt civium opulentia) intra annum mox reparata: gliſcentibus hodie magis magiſque commerciis, exteriſque certatim ad urbem hanc confluentibus.

ROTERODAMUM.

INclyta veliferus pulſat mea mœnia Moſa,
Parte alia placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum late commercia porto per orbem,
Gallia quas poſcit, quaſque Britannus opes.
Hic meus Auſonÿ vindex ſermonis Eraſmus
Vagÿt, & cunis abdidit ora ſuis.
Mæoniden iactat Colophon, Verona Catullum:
Sufficit ad laudes hunc genuiſſe meas.
Nunc tantum fragili veneror ſub marmore numen,
Dum ſilet in medio lingua diſerta foro.
Quem genui, Baſilea tegit, Sapientia fatis
Eximit, & cineri vult ſupereſſe ſuo.

Me

Me timet Hiſpanus, timuit grex barbarus ipſum,
Ille meis victus claßibus, hic calamo.

C. B.

SCHIEDAMUM.

SCHIEDAMUM eidem Moſę vicinum eſt, ad foſſam, ſive canalem Schiam, qui & opido nomen impertit, ac ſemileuca dumtaxat abeſt Vlaerdinga.

GERTRUDOBERGA.

BERGA D. GERTRUDIS, vulgo *Sinte Geertruydenbergh*, adjacet ripæ ſiniſtræ fluvii Mervæ; ac Dordrechto, Heuſdano, & Breda parili ferè trium leucarum ſpatio diſſidet. bonum ſane & munitiſſimum opidum, adeoque ob ſitum fortaſſis inexpugnabile. Ad hunc locum in dicto jam Merva capitur omnis illa vis aloſarum, quæ ſtatis anni temporibus in hac Belgica nobis ſuppe-

ſuppetunt. incipit autem præcipua hujus piſcis captura inde à primis tonitruis menſis Martii, eaque tam copioſa, ut in retibus uno aliquo die numerata ſint plus octodecim piſcium millia. magnitudine inter ſe differunt, ac ſaliri etiam ſolent: atque hinc porro in varias terræ partes & recentes ſimul & ſale conrectæ diſtribui. Ad hoc uſque opidum comitari olim ſolebant Hollandi ſuos & terræ Hannoniæ Principes, quoties eo ſeſe conferrent: atque hic item in Hollandiam revertentes rurſus excipere. etſi enim certis de cauſſis Brabantiæ Duces ſupremum ſibi in hanc urbem imperium vindicent, poſſeſſio tamen ejuſdem eſt penes Hollandiæ Comites. quare etiam moris olim utrique genti, Hollandis quidem, Principes ſuos ad retinendam, Brabantis contra, ſuos ad recuperan-

dam, jurejurando obſtringere.

GERTRUDIS-MONS.

NEſcio, num claris Brabantum debear oris,
An me Batavici vendicet ora ſoli.
Quicquid erit, noſtris ſociavimus arma Batavis,
Nec procul à Merva belligaramus aquis,
Vendita ſum ſceleris pretium, ſed victa triumphi:
Quam diſtant meritis victor, & emptor Iber?
Magna ſuum quondam me dixit femina Montem,
Nunc Martis potius mons & arena vocer.

C. B.

SEVENBERGA.

SEVENBERGA ſita eſt ad eumdem Mervam, & Gertrudoberga Bredaque æquali trium leucarum intervallo abiuncta. opidum ſatis lautum, quodque olim in ditione Illuſtris viri Cornelij

nelij de Bergis; quo defuncto, delatum eſt ad Illuſtriſſimum Comitem Arembergium.

WILLEMSTADA.

ADditamentum. [Condiderunt, durante hoc bello civili, Potentiſſimi Ordines Provinciarum Fœderatarum, haud procul à Sevenberga, in inſula vulgo *de Ruygenhil*, munitiſſimũ quoddam & ſitu admodum opportunum opidum, cui, in memoriam Illuſtriſſimi Principis Arauſini, nomen fecere *Guilielmo-Stadio*, Belgice *VVillemſtadt.*]

Atque opida quidem hactenus nobis deſcripta, etſi non ea qua Flandrica vel Brabantica magnitudine, ſatis tamen vel ſic ſpatioſa ſunt tum & lauta pleraque, opulenta, frequentia, & amœno inprimis lætoque adſpectu. Quæ cum magna ex par-

te, quod ad regimen quidem & politiam attinet, vix quidquam inter ſe diſcrepent: nos à peculiare eius rei deſcriptione ſuperſedimus, & ad ea tranſibimus opida, quæ, etſi muris non cincta, gaudent tamen eodem cum illis jure. ac primo quidem occurrit.

MEDENBLICA.

MEDENBLICA, poſita in extremo ad Septentrionem Hollandiæ littore, & Enchuſa duabus & ſemi-leucis abiuncta. municipium ſane haud pœnitendum, validaque admodum arce conſpicuum. territorium eius, quod ad paſcua quidem pecori ſaginando idonea, magno ſane municipum bono, univerſæ Hollandiæ præſtantiſſimum.

BEVERWICUM.

BEVERWICUM poſitum eſt ad Tyæ ſive Yæ fluv. & maris

Auſtrini ſinum, & Harlemo duabus leucis abiunctum.

MUDA.

MUDA ſita eſt juxta lacũ Flevi, ad fluviolum Vechtam, & ſemileuca tantum Weſopo, Narda vero leuca prægrandi abjuncta. opidum ſane mediocre, & ab altera fluvii ripa inſigni & forti admodum arce communitum; ex qua per pontem ad opidum tranſitus.

NEOPORTUS.

NEOPORTUS ſita eſt è regione Schoonhoviæ, unde leucæ tantum quadrante abjungitur. olim quidem lautiſſimum opidum; hodie vero mediocre.

VLARDINGA.

VLARDINGA, ſita fere ad Molæ fauces, Roterodamo & Delphis æquali propemodum

ſpatio duarum leucarum abeſt, una ex antiquiſſimis terræ Hollandiæ civitatibus.

GRAVESANDA.

GRAVESANDA Moſæ propemodum faucibus adſita, Delphis Hagaque pari duarum leucarum intercapedine diſſidet. opidum valde antiquum, & olim non mœnibus tantum clauſum, verum etiam potens, & Senatus Hollandici ordinaria ſedes. hodie, licet in veteri illo ſplendore multum amiſerit, tolerabili tamen conditione eſt. Seminatur in eius confiniis largior multo frumenti vis, quam in alia ulla Hollandiæ parte, quia nempe feliciter iſthic & ſpecioſiſſimum naſcitur. Suppetunt inſuper Graveſandâ nobiliſſimi illi caſei, quos Graveſandos vulgo appellant, & magnopere paſſim ab omnibus expetuntur.

Sunt

Sunt inſuper in Hollandia, & paganorum in ea catalogo, multi admodum memorabiles, & iiſdē fere cum opidis muro clauſis privilegiis præditi loci, quorum nobiliores aliquot maximeque momentoſos obiter excerpemus. & primo quidem prænobilem illam & ampliſſimam Hagam.

HAGA,

Municipium AULA *inſigne*.

HAGA, quam Batavi vocant *den Hage*, mari ab Occidente vicina eſt. Delphis quidem una prægrandi, Leida vero duabus, Roterodamo denique tribus leucis abjungitur. hic, meo quidem judicio, non pulcherrimus modo, ſed ditiſſimus quoque, & fortaſſis etiam maximus, univerſæ Europæ pagus eſt. habet enim ſupra bis mille domos, in iiſque complures ad-

modum bonas & laxas; maxime autē ampliſſimum illud & ſumtuoſiſſimum palatium regium, arci cuipiam muris clauſæ adſimile, & foſſis undique communitum. quod conditum olim à Guilielmo, Hollandiæ Comite, jam in Romanorum Regem electo, qui & Senatum Hollandiæ, Graveſandæ prius, ut diximus, commorantem, in hunc locum traduxit; à cuius quidem Senatus ſententiis provocare porro licet Mechliniam, & ſupremum inibi regis Conſilium. Conſtat autem nunc temporis ex Præſide uno, & quatuordecim Senatoribus. Advocato item Fiſcali, Procuratore. ut vocant, generali, Graphiariis, Secretariis, aliiſque id genus miniſtris. Præſidis hodie munus obit Cornelius Suſius, Toparcha Riſvicanus, cuius infra prolixior mentio. Senatores ſunt Martinus Nardenus,

nus, Arnoldus Saſboutus, Dominicus Bootius, Quintinus Weytſius, Arnoldus Nicolaius, Balduinus Jacobi Cranedonckius, Nicolaus Vander-Lanus, Adrianus Verhouvins, Reinerus Moonſius, qui & Procurator generalis, Ioannes Lezanius, Jacobus Merſchius, Witto Wittenius, Carolus Smiterus, & Adrianus Mylius. Eſt in ipſo palatio peregregium quoddam Sacellum, & in eo Canonicorum Collegium. Præterea Ratiocinarium, vel, ut vulgo appellant, Camera rationum; cui accepti pariter & expenſi rationes reddere alias tenebantur regii omnes per Hollandiam, ditionem Ultrajectinam, Selandiam, Friſiam, & Tráſiſalanam Quæſtores, Theſaurarii, & quidquid præterea talium miniſtrorum eſt. In eodem palatio adſervabatur egregia illa bibliotheca, collecta, ut in Gor-

comio diximus, & congeſta à clariſſimo illo Joanne Hario. quæ perpetuum quidem & peculiarem olim habebat cuſtodem, ſed commiſſa nuper & in tutelam quodammodo tradita fuerat Præſidi Viglio; cui & conſignandos curavit Philippus Rex libros olim Margaretæ Auſtriacæ, Imperatoris Caroli amitæ, & pro eo Belgicæ huius Gubernatricis, Gallice magna ex parte, nonnullos vero Latine etiam ſcriptos. Nolunt incolæ, ſola quadam animi magnitudine impulſi, nobiliſſimum iſtud municipium muris & mœnibus claudere. quia nempe honeſtius ipſis videtur, Cæſaris ea in re ſatis notam opinionem & alios magnos viros æmulantibus, ſi Domini ſint pulcherrimi potentiſſimique Europæ totius pagi, quam eiuſmodi urbis, quæ ſi mœnibus foret clauſa, cenſeretur quodammodo

modo inter minores. ſed næ iſthæc animi magnificentia magno ipſis ſuperioribus annis conſtitit. cum Martinus Roſſemius, Gelriæ Ducis Archiſtrategus, cognito, locum expugnatu facillimum, & opulentia eius allectus, parva manu, ſed non ſine magno periculo, ſola diripiendi illius cauſſa, omnem fere Hollandiam pervagatus, Hagam miſerrime depopulatus eſt. quæ ſi muris fuiſſet clauſa, numquam id ille tentaſſet. interjecto namque vel minimo temporis ſpatio, oppreſſiſſent hominem militares undique Hollandorum copiæ. Hagæ adiacet amœniſſimum nemus, vario in venantium uſus ferarum genere copioſum, ac tam delectabile ſimul & pulchrum, ut proprie videatur unus ex iis locis, quos Poëtæ antiquitus ſacros dixerunt. extant autem in eo & finitimis aliquot lo-

cis

cis antiquitates quædam, & monumenta marmorea veterum Imperatorum, Hadriani videlicet, Antonini, Lucii Septimii Severi, & aliorum. Hagæ natus fuit Joannes de Haga, *alias* de Indagine, vir ob excellentem doctrinam clariſſimus; & complurium operum ſcriptor. Item Guilielmus Gnapheus, vir doctus, & primus apud Inferiores Germanos poëta Comicus; tum & aliis ſcriptis illuſtris. Joannes Secundus, adoleſcens doctiſſimus, auctor ejus poëmatis cui titulus Baſia, & complurium aliorum, quæ magna ſua cum laude vulgavit. Juſtus Velſius, Medicus perilluſtris & magnus Philoſophus. qui & ipſe compluria edidit ſcripta, ut videre eſt nominatim in Bibliotheca jam aliquoties allegata. Præterea nobiliſſimus ille Gerardus, Dominus Aſſendelfii, olim Præſes

Hollan-

Hollandiæ, qui cum ſumma doctrina prudentiam ritę coniunxerat. Hodie jactat Haga Cornelium Suſium, etiam ipſum Hollandiæ Præſidem, ſupra nobis obiter commemoratum, virum domi nobilem, & cum litteris Græcis Latiniſque, tum Juriſprudentia maxime celebrē, ac non infimi nominis vatem. Hippolytum inde Perſinum. Præſidem Ultrajectenſem, rara quadam doctrina, nec minori prudentia præditū virum, ideoque in magno paſſim æſtimio. Nicolaum Aſſendelfium, Gerardi jamdicti filium, virtute & litteris inclytum, ac dignam tanto parente prolem. Splinterum Hargenium, Dominum Oſtervicanum, virum intime doctum neqne tinctum dumtaxat ingenuis artibus, ſed penitus iis imbutum. Arnoldum Cobellium, Ordinum Hollandiæ Theſaurarium

rarium, eruditione pariter & judicio magnum. necnon fratrem eius Philippum, Senatorem Conſilii ſanctioris, virum eruditiſſimum, & mirabili quadam in rebus tractandis dexteritate; unde factum, ut ſæpe, & apud varios Principes, regium egerit Oratorem. Subiungemus hic denique & Joannem de Gouda, Syndicum Reipublicæ Groningenſis, virum inſigniter doctum, & in obeundis negotiis publicis acrē pariter atque induſtrium: quare & domi foriſque in magna paſſim eſt fama, & eximia quadam pollet auctoritate. ſicut ob rara in Regem officia, & navatam ei in patria fideliſſimam operam, affectus ab Regia Maieſtate ſit compluribus præmiis, variiſque honorum & dignitatum titulis exornatus: nam & Equitem eum creavit auratum, & quo pluribus ad virtutem adderet calcar, ſuum

ſuum in ditione Groningenſi Vicarium, magna viri cum laude, conſtituit.

HAGA.

SEdet priſca Ducum, non urbs, tamen urbibus ipſa
Maior, & à Batavo principe nomen habens,
Sto Thetyn, Faunumque inter, latus inde procellis,
Parte alia umbroſum robore cincta latus.
Hic Themis & ſacras loquitur Prudentia leges,
Et trepidos inſons excipit aula reos.
Hic edicta Patrū & magni decreta Senatus
Colligit, & patria proſpicit una ſua.
Auriacuſque meis accedens laudibus heros
Altius anguſtum tollit ad aſtra caput.
Quas aquilas, quæ ſigna vides, vexilla, triumphos,
Hæc ſunt Naſſovia parta trophæa manu.
Cum ſocia pugnant urbes, pugnantibus adſum:
Et partem pugnæ, conſuluiſſe puto.

C. B.

Semi-

Semileuca fere ab Haga diſſidet LAUSDUNA pagus. ubi ampliſſimum olim Religioſarū nobilium, Ordinis D. Bernardi, Cœnobium, auguſtó inprimis Comitis Margaretæ ſepulchro & ſequenti inſcriptione conſpicuum. nam cum ea de re Eraſmus quoque & Joannes Ludovicus Vives, inter alios quoſdam illuſtres ſcriptores in commentariis ſuis meminerint, operæpretium fuerit, epitaphium illud hic ad verbum exſcribere. quod priuſquam tamen apponam, premittenda videtur compendioſa occaſionis ipſius rei narratio. Audio igitur, adiiſſe quondam ad Comitem illam prædictam, Florentii & Machtildis Hollandiæ Selandiæque Principum filiam, mulierem quamdam paupereulam, duos unico partu editos parvulos ulnis geſtantem. cui, ut fit, eleemoſynam poſtulanti,

lanti, Margareta non ſolum nihil quidquam porrexit, ſed irriſam inſuper & contemptam his verbis demiſit: Fieri (inquit) non poteſt, ut uno partu naſcantur duo, (*imo hoc ſæpe accidit: & quidem, quamquam raro, trigemini naſcuntur*) niſi totidem fuerint patres: quare alterum ſane oportet furtivo concubitu eſſe prognatum. muliercula ſic deriſa Deum precata eſt, ut pudicitiam ſuam faceret palam, & in evidens eius ſignum permitteret, Comitiſſam tunc gravidam totidem fœtus eniti, quot ſunt anni totius dies. atque hinc porro evenit, ut poſt aliquod tempus eniteretur trecentos & ſexaginta quatuor liberos, partim maſculos, partim fœmellas. quorum ſingulos narrãt fuiſſe pulli dumtaxat gallinacei magnitudine, ſed omnes tamen vixiſſe, & ſalutari baptiſmo tinctos ab Guido-

ne, Epiſcopi Trajectenſis Vicario; qui maribus quidem Joannis, fœminis vero Eliſabethæ nomen indiderit. ipſis paullo poſt una cum matre extinctis, & eodem cum ea tumulo conditis, addito epitaphio, quod verbatim expreſſi.

Illuſtris Domini Florentij Comitis Hollandiæ filia, cuius mater fuit Machtildis, filia Henrici Ducis Brabantiæ; fratrem quoque habuit Guilielmum Alamaniæ Regem: hæc præfata Domina Margareta, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto, ætatis ſuæ anno quadrageſimo ſecundo, ipſo die Paraſceves, hora nona ante meridiem, peperit infantes vivos promiſcui ſexus numero trecentos ſexaginta quatuor: qui poſtquam per venerabilem Epiſcopum Dominum Guidonem Suffraganeum, præſentibus nonnullis proceribus & magnatibus, in pelvi quadam baptiſmi ſacramen-

cramen-

cramentum percepiſſent, & maſculis Ioannes, fœmellis vero Eliſabeth nomen impoſitum fuiſſet, ipſorum omnium ſimul cum matre animæ ad Deum æternaliter victuræ redierunt, corpora autem ſub hoc ſaxo requieſcunt.

Martinus Cromerus in hiſtoria ſua Polonica teſtatur, Margaretam quamdam, Comitis Virboſlai uxorem, unico partu enixam triginta ſex liberos, omnes vivos, idque Cracoviæ, regni illius metropoli, anno ſatis M CC LXIX. quod etſi cum Philoſophorum quidem & Medicorum placitis, adeoque ipſa natura fortaſſis pugnet: ſciendum tamen, omnes omnino regulas aliquam ſemper pati exceptionem: accedente præſertim vel gratia, vel vindicta divina, cuius omnipotentia ſæpe ipſam naturam & elementa rerum tranſcendit.

SCHAGA ſita eſt in extrema Septemtrionali Hollandiæ parte, & Alcmaria ſimul ac Medenblica pari trium leucarum intervallo abiuncta: pulchrum quidem, & amplum quod ſatis ſit municipium, ac prænobili etiam arce conſpicuum.

ISELMONDA poſita eſt ad flumen Mervam, adeoque ad ipſum Iſelæ fluminis oſtium, unde accepit & nomen. Roterodamo tantum dimidia, Dordrechto vero duabus leucis abjungitur. pagus equidem peregregius, & qui pulchram habeat arcem, ditionis Toparchæ Merodani,

EGMONDA Oceano mari ab Occaſu propinqua eſt, & Alcmaria quidem ſeſquileuca, Bevervico duabus leucis abjuncta. pulcher profecto & concinnus admodum pagus. juxta quem & Cœnobium olim, longe hercle ampliſ-

ampliſſimum. quod, teſtante Irenico, conditum fuit ab Adelberto. Habet vero & iſte locus ſatis inſignem arcem, ita ut Comitatus dignitate præfulgeat: ſumente ab eo cognomen illuſtriſſima & antiqua gente Egmondana, cujus hodie caput Philippus, ſummæ dignitatis & expectationis adoleſcens, ut qui Eques ſit aurei Velleris, Princeps Gaverenus in Flandria, & complurium opidorum pagorumque non Hollandiæ tantum, verum etiam Flandriæ, Artheſiæ, adeoque & Galliæ, Dominus. Egmondanus fuit Nicolaus de Terra Nova, Epiſcopus Harlemenſis, doctus ſane & reverendus Antiſtes.

BREDERODA inſignis profecto eſt arx, medio fere inter Harlemum & Bevervicum itinere. Sumit ab eo cognomen antiquiſſima nobiliſſimaq; gens

Brederodia, quæ complures edidit viros illuſtres, neque tantum iſtius arcis, ſed Vianæ præterea, opidi ſupra nobis deſcripti, & variorum pagorum Dynaſtas. hodierno loci Toparchæ Henrico eſt nomen. qui cum improlis nuper deceſſerit, variæ ſuper eius hæreditate exortæ ſunt lites. quæ, ut paullo ante meminimus, etiam nunc pendent indeciſæ.

FALCOBURGUM Leida unius tantummodo leucæ ſpatio diſſidet, pagus haud equidem magnus, ſed equorum mercatu, quotannis in eo Septembri menſe haberi ſolito, admodum memorabilis, nec innumera tantum omne genus equorum copia, ſed & hominum undique confluentium multitudine frequentatus. Dynaſtam hodie, quatenus Dominum Waſſenariæ, agnoſcit Comitem Ligniacenſem.

CATTO-

CATTOVICUM pagus eſt mari vicinus : eo adeo loci , ut quidam aſſerunt , poſitus , ubi oſtium illud veteris Rheni, quod Traiectum perlabitur , rapido curſu in Oceanum olim ſolebat influere. Locus equidem valde antiquus,ut quem conditum velint Annales Hollandiæ, denominatumque à Cattis, populis olim Germaniæ, qui cum Batone jam dicto in has oras delati, præcipuam iſthic ſibi delegerint ſedem : quæ, ob maris juxta & fluminis opportunitatem , brevi in magnam & momentoſam admodum urbem excreverit. ſed poſtea ſæpius diruta , vix reliquias modo & rudera, ſui ad poſteros monumentum ; tranſmiſerit.

ARX BRITANNICA mille circiter & ſexcentis paſſibus ab hoc pago,ad mare Oceanum, & quod diximus, oſtium Rheni,

ædificarunt olim Romani, & nominatim Cajus Cæſar Caligula, ſuperbam inprimis arcem, & pulcherrimum portum. unde breviſſimus ſane & commodiſſimus erat in Angliam, tunc Britanniam dictam, trajectus. eam autem ab ipſo ſitu dixerunt Britannicam. quæ, Imperio declinante, à Normannis occupata, atque ex parte etiam diruta tandem, quia non ſarciretur; neque aggeribus aliiſque id genus operibus, ſicut aliæ quædam, communiretur, prorſus ab mari abſorpta eſt. ſic ut aliquot ſæculis nec vola inde nec veſtigium apparuerit. Ab annis vero ducentis retro regreſſo plus ſolito verſus veterem alveum Oceano, etiam aliquæ huius caſtri partes emerſerunt. quod anno ſalutis viceſimo ſupra ſeſquimilleſimum continuo biduo pæne totum ſeſe oſtendit: cum accolæ, inter alia,

ſeptem

ſeptem inde eximerent lapides, quorum aliqui notas præferrent inſcriptiones Romanas. hi tranſlati fuere ad nobiliſſimam illam Hagam, & aulam inibi Domini Waſſenaræ, ubi & hactenus eos eſt viſere. Emerſit hinc iterum, & ad fundamenta uſque detecta eſt arx anno 1552. quo tempore compererunt eam eſſe quadratam, & ab uno ad alterum angulum, ducentos & quadraginta, in circuitu vero, patere nongentos & ſexaginta pedes Romanos. viſa tunc autem & facies quædam muri, Meridiem verſus porrecta. unde porro ad magis mediterranea pertinuiſſe videbantur præcipuæ huius propugnaculi domus, arenoſis hodie collibus, *Dunas* vulgo indigetant, obrutæ. eruerunt etiam accolæ plurimos lapides leucophæos, quorum, qui ſtrati in fundamento, ternis pedibus alti,

quaternis lati.item lateres quoſdam terra coctos, pedali in quadrum mole, adeo ſanos quidem & integros, ut viderentur recentes ab officina. præferebant autem has litteras E X. G. I. quæ denotare videntur *Ex Germania Inferiori.* Eſt quidem hic in propinquo admirabile quoddam & coquendis lateribus, aliiſque id genus figlinis aptiſſimum terræ genus. ſed Batavis nondum ſatis eſt explorata figlina Hollandica, & nihil ad Romanorum vaſa & lateres terræ iſtius temperandæ ratio. unde liquet, veteres illos Romanos multis in rebus nõ præcurriſſe. ſicuti nos quoque in compluribus aliis, temporis demum lapſu inventis, ſine controverſia eos præcellimus. Inventa fuerunt & vaſa quædam operis priſci, ex metallo conflata. item nummi, & alia quædam antiquitatis Romanæ veſtigia.

Omnium

Omnium vero clariſſime ſeſe oſtendit hæc arx, dum in eo ſum ut hoc opus abſolvam, id eſt anno 1562. quo per viginti & amplius dies manſit detecta. ſic ut accolæ vel millenos aliquot lapides paſſim eruerint, & complures invenerint nummos, tum & vaſa quædam pulcherrima, quibus itidem eſſe inciſum *Ex Ger. Inf.*

PETTEMUM, pagus eſt, in extrema fere Septemtrionali parte Hollandiæ poſitus, & ad ipſum Oceani maris littus. ubi cum rerum parens natura non continuaverit arenoſos illos montes & colles, vulgo *Dunas* vocatos, qui ab ea quidem parte Hollandiam mirum in modum tuentur, initium capit latiſſima quædam moles, ſive agger magis dicendus eſt, quem vulgo vocant *Hondsboſch*, ab accolis, eum naturæ defectum explentibus,

bus, multa ſane induſtria & continuis fere ad paſſus ducentos operibus, verſus Campium pagum ex ligno conſtructum. Eſt autem tam magni momenti hoc opus, tamque efficacis præſidii, ut ſi caſu fortaſſe, vel Oceani aliqua temperie, id contingat perfringi, potiorem Hollandiæ partem undarum violentia cooperiendam adfirment. quare ſumma cum diligentia, nec minore impendio, accolæ illud quotidie reparant, & ſartum tectum conſervant. quinimo & Senatus Hollandiæ ſuos huic operi inſpiciendo, & ne quid forte in re tanti momenti peccaretur, quotannis nuper deſtinare conſueverat Cõmiſſarios. poſt clauſum tamen ab Nicolao Nicolaio, incredibili pæne ſumptu & laborioſis operibus, vaſtum illum canalem *Zipam*, haud procul hinc diſſitum, recuperataque

ex

ex maximo illo ad Septemtrionem gurgite, & pulcherrimo aggere conveſtita tam vaſta terrarum antea ſubmerſarum ſpatia, deſiit ea moles eſſe tanti momēti, tamque magni in publicum ſumtus; ſuccedentibus nempe ſubinde aliis aliiſque aggeribus, & mirandis quibuſdam vallis ac munimentis. Unde laudabilis ſane & plurifariam utilis Nicolai illius eſt opera; utilior etiam futura, ſi ad finem eſſet perducta, & ipſe ager excoleretur. cujus mari erepta pars, frumenti præcipue, tam inſigniter fertilis, ut omnem pæne fidem exuperet, utque unus tritici ſaccus anno ſuperiore arvo ingeſtus, centum & amplius ſaccos reddiderit.

Inſulæ juris Hollandici, earumq́; opida BRIELA *&* GERVLIETA.

HAbet inſuper, ut jam diximus, ſub imperio ſuo Hollandia quinque illas prædictas Inſulas, *Vornam* ſcilicet, *Goederedam*, *Somerſdicam*, (quæ & ipſa *Vornæ* vocabulo nobilis) *Corendicam* & *Piershillam*, *Collem Petrinum*, poſitas inter Mervam & Moſæ fauces, nec Selandia procul abiunctas, & cum tribus opidis muro clauſis, tum & aliquot pagis inſeſſas. Nos, qua fieri poterit brevitate, ſingulas percurremus. Et primo quidem inter eas occurrit

VORNA, quæ non niſi duabus leucis diſſidet Graveſanda, & Brielam habet, opidum ſatis lautum, & ſitu fortiſſimum. Briela illud eſt opidum, quod omnium primo de improviſo, & præter

præter omnem Ducis Albani, terræ Gubernatoris, ſpem, ductu Comitis Marchiæ, qui Dynaſta Lumæius, calendis ipſis Aprilibus anni 1572. occuparunt extorres Belgæ. Luctuoſum profecto multos annos non ipſi dumtaxat Regi, ſed & Belgicæ univerſæ graviſſimarum calamitatum principium. deſciverunt enim poſt paullo Fliſſinga, Enchuſa, & alia quædam opida, non ſine ingenti rerum & ſtatus mutatione, quæ horrenda inprimis bella & extremas quaſque miſerias ſecum traxit; prout ſpeciatim narramus in Commentariis noſtris, quos, vitandæ tantarum rerum, peculiare ſibi volumen poſcentium, cum hac noſtra deſcriptione confuſioni, ſeorſim vulgavimus.

BRIELA.

ADſpicit vicinā noſtro de littore Thetyn,
Hicubi Moſa ſuis laxior exit aquis.
Briela vocor, feſſis ſpatio ſecura carinis,
Nunc quoque Verniaci gloria prima ſoli.
Naiades hinc, illinc agreſtia numina Fauni,
Et facunda meos ſpectat Eleuſis agros,
Albano ſubrepta Duci, crudelia ſprevi
Imperia, & faſcos Batica terra tuos.
Aprilis latas faſtis inſcribe Calendas
Belga, nec hoc optes non ſuperaſſe die.
Scilicet illa dies, qua me vicere Batavi,
Vlterius vinci noluit Auriacum.

C. B.

GERVLIETUM.

EST in eadem Inſula Vorna & GERVLIETUM, mediocre quidem opidulum, una cum aliquot pagis. Ager eius quam optimus, & cum tritici mire ſpecioſi, tum & aliarum egregiæ bonitatis ſegetum fertiliſſimus. gignit item copioſiſſime fruticū illum, qui Batavis dicitur *Helm*, nec geniſta eſt & multum abſimilis. hic

hic cum alte agat radices, natura videlicet ſingulis rebus conſulente, arenoſos Hollandiæ & Selandiæ colles, adverſus ventorũ injuriam, præcipue ſolet tueri: quos alioquin iſti Æoli emiſſarii

Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.

GOEDEREDA eſt altera prędictarum Inſularum, cum mediocri & cognomine ſibi opidulo, Briela duarum leucarum intervallo abjunĉto.

Tertia Inſula SOMERSDICA, quam VORNAM appellant, quod Hollandiæ nempe obiecta ſit: vernacula dictione *Voren*, Latinorum præpoſitioni *ante* propemodum reſpondente: variis pagis inſeſſa eſt. inter quos præcipue eminet *Somersdikium*, celebre olim & commerciis frequens emporium. Notandũ vero, unicum iſtud huius Inſulæ municipium Selandorũ imperio ſubiici.

CORENDICA & PIERSHILLA, quarta & quinta ex Inſulis antedictis, complectuntur aliquot pagos, & cum cereali, tum paſcuo etiam agro, utroque inſigniter fertili, gaudent. nec aliud fere habent quod memoratu ſit dignum.

Vocantur autem coniunctim hæ omnes Inſulæ ager Vornanus, *het Landt van Voorn:* ſed revera ſunt Inſulæ Selandicæ, & Selandiæ quondam concenſitæ: cum videlicet à Selandis peterent jura, & ſub Comitatus illius judicium caderent. Verum annis abhinc plus minus quinquaginta, ſumta forte occaſione ex diſtributione quadam pecuniariâ Principi facienda, ſubjecere ſe unanimiter Ordinibus terræ Hollandiæ; quibuſcum ex illo contribuunt, & ſuperiores eos agnoſcunt.

Additamentum. [Etſi communi-

muniter quidem hæ Inſulæ audiant ager Vornanus, ſciendum tamen, diſtribui proprie *Vornam* in Orientalem & Occidentalem. prioris caput eſt *Briela:* alterius *Goedereda.* reliquis Inſulis ſua diſtinctim vocabula; & illa quidem in qua Somersdikium, proprie dicitur *Over-Flacke*, quaſi dicas Tranſ-Flacquæana.]

Præter autem has quinque Auctori enumeratas, ſunt & aliæ quædam haud levis momenti, & nominatim ea quæ Roterodamo eſt proxima, & vulgo audit *het Landt van Over-Maes*, territorium Trans-Moſanum, in qua boni aliquot pagi, & ſpeciatim *Iſelmonda.* Cæteras, brevitatis cauſſa, nunc omittemus.

Septemtrionalis Hollandiæ Inſula.

Additamentum. [Sed non poſſumus tamen, quin leviter

 attin-

attingamus & Septentrionales illas Hollandiæ Inſulas, quarum initio ſtatim deſcriptionis obiter meminit Guicciardinus. harum prima quidem *Teſſalia*, copioſa profecto & rebus omnibus affluens Inſula, contra maris injuriam partim collibus arenoſis, partim aggere communitur. ager magnam partem eſt paſcuus, & oberrant in eo numeroſiſſimi pecudum greges, quarum ex lacte ingens premi ſolet quotannis præſtabilium caſeorum, ne Parmenſibus quidem cedentium, vis. nulla hic opida muris clauſa, ſed ampliſſimum quoddam & pulchrum eſt municipium, quod eodem cum opidis jure & Magiſtratibus gaudet. ſunt deinde & celebres aliquot pagi, & munitum ſatis adverſus hoſtiles incurſus vallum; cum perpetuo Ordinum terræ præſidio. Inſulani, agriculturæ potiſſimum dediti,

diti, piſcationibus etiam & halecum capturæ invigilant. Sequitur *Flevolandia*, Hollandis *het Vlie landt*; quam mytuli, vel ſi mavis muſculi illi marini, Belgis *Moſſelen* dicti, vel inprimis commendant. Tertio loco *VVi-ringiam* ponimus, quæ unde acceperit nomen, Auctor ſupra expoſuit. eſt autem hæc Inſula & egregiis aliquot pagis inſeſſa, & frugum inſigniter ferax. nobilitant eam pinguiſſimi illi verveces, quorum tam numeroſi hic greges, ut vicinas undique Civitates Inſulani largiter iis impertiant. Apparent denique & è mediis ſinus Auſtralis fluctibus caput attollunt *Vrca* & *Enſia*, mirabili ſane Divinæ providentiæ nutu ſervatæ. Inſulani, ex una potiſſimum & eadem primorum Inſulæ utriuſque habitatorum proſapia geniti, ſecluduntur ab reliquo omni huma-

no conſortio, & matrimoniis inter ſe juncti, ſolitarios illos receſſus colunt, nec alienigenas, niſi in prætermeantibus Hollandorum Friſiorumque navibus, umquam fere adſpiciunt.]

Schellingia inſula, & inibi mira piſcandi ratio.

UT omittamus alias Friſię inſulas, de *Schellingia* tamen pauca dicenda ſunt. Sita eſt ergo hæc Inſula verſus Septemtrionem, ſub grad. latitudinis 54, ac ſupra Friſiam & Hollandiam media. occupatur aliquot pagis: reliquum prata habent & paſcua, in quibus magno numero paſſim oberrant pecudes. Vigit inſuper hic piſcatio, & cum innumeri aliorum generum piſces, tum plurimi præſertim capiuntur phocæ, ſive canes marinos appelles. hi & in ciborum habentur deliciis, maximę ſi incruſtes: &

& adipem habent oleo excoquendo aptiſſimum. Ridiculus vero etſi notabilis modus, quo utuntur hi homines in hujuſmodi belluis capiendis. Induuntur eorum nonnulli veſtibus ita indecenter compoſitis, ut & ipſi agnoſci poſſint pro belluis. hi ſic larvati accedunt ad mare, & ſtatis quibuſdam horis, quibus norunt hoc genus exiturum in littus, & fruiturum inibi aëris ſimul & terræ commoditatibus, ei occurrunt, ſaltantes porro ac tripudiantes (quid non excogitant homines?) prorſus ut ludii quidem & hiſtriones. ad quod ſpectaculum miro ſtudio & voluptate accurrunt hi canes: ludiis inde retrocedentibus, & ſpectatores ſuos hoc ludicri genere aliquam longe ab littore terrā verſus paullatim vocantibus. Parte alia ſunt qui locis ad hoc opportunis piſcibus iſtis à tergo diſpo-

nunt retia: ac mox, cum videtur idoneum, hiſtriones illi perſonam detrahunt, & in canes noſtros ſe vertunt. qui dum pavefacti conantur retrogredi, ac recipere ſeſe ad mare, in retia ſtatim incurrunt. unde ingens porro eorum numerus capitur, cum non pœnitendo piſcatorum, ſeu venatores magis dicendi ſint. quæſtu.

Hollandorum laudatio in genere.

UNiverſa Hollandia incolis ad miraculum frequens eſt. Viri in ea proceri, juſto membrorum temperamento aptaque compoſitione decori. feroces item; ſed quod humanitatem tamen & civilitatem attinet, multum à ſuperioribus illis ſæculis diſcrepantes. ſi enim barbari tunc & inculti, ut ſcriptores quidam adfirmant, hodie prorſus

ſus civiles, urbani, faceti, ingenioſi, & ad omnem humanitatem egregie facti ſunt. ſicut ingredienti in illas urbes, & cum civium mores atque ingenia, tũ & publica privataque ædificia contemplanti, ipſa ſtatim civilitas ultro in oculos tibi incurrat. quod ſi porro in domos eorum te penetres, & largiſſimam illam domeſticæ ſuppellectilis affluentiam, nec non ordinem, atque nitorem conſideres, magnam quidem haud dubie ceperis voluptatem, ſed quam maior etiam admiratio ſubſecutura ſit. Et certe ſi ἀναλόγως loquendum ſit, non habet fortaſſe Hollandia, quod cultum quidem & elegantiam attinet, quicum poſſit componi. quod ipſum adfirmarunt nobis Menſores Caroli V. Imperatoris, qui Auguſtiſſimũ illum Principem comitati, totam fere Europam lauſtraverant: & cum

ſingulas paſſim urbes, imo (ut notum eſt) domos pœne inſpiciant, meliorem inde, quam alius quiſquam, rationem reddiderint. Ingredere porro hinc in tabernas illas, & cum publicas, tum privatas etiam officinas & ergaſteria: conſcende iſtorum naves: conſidera denique aggeres, aliaque id genus munimina, quæ non Inſulæ modo, ſed & opidis aliquot muniendis propugnandiſque ſolent extruere: contemplare tot illas foſſas & aquæ ductus, ad ſingulos fere paſſus, non ſolum neceſſitatis, ſed vel minimæ commoditatis ergo, mira quadam induſtria fabricatos: intuere, qua ratione conſervent agros ſuos & prata: quaque immenſam illam confluentium undique, tum ex æſtuante Oceano, tū ex nimia ſoli humiditate, aquarum vim, è foſſa prius in foſſam, atque inde in mare tan-

dem

dem evacuent: hæc omnia inquam attentius paullo conſidera; mentior, niſi ſingula quæque tanta induſtria, tanto ingenio, tanta denique inſtrumentorum & manuum ſimul facilitate exercitari invenies, ut & ſenſibus tuis vix crediturus, & ſi lubeat modo, vel ſexcentas hic utiliſſimas artes imbibiturus ſis.

Mulieres in Hollandia formoſiſſimæ, candidæ, animoſæ, induſtræ, & laboris in genere non patientes modo, verum etiam cupidæ, adeo ut pleraſque virorum partes, & præſertim quæ mercaturam ſpectant, laudabiliter obeant.

Hollandorum artes & ſtudia.

NOn habet quidem Hollãdia quantam ſub propriis olim Comitibus ſuis Nobilitatẽ: quæ tum aliis aliquot cauſis, tum Mercurii maxime ſtudio, plurimum

mum imminuerit : ſed non deſunt tamen potentes quidam & magni nominis Dynaſtæ, & ſatis frequens eſt hodieque virorum nobilium numerus. quorũ alii quidem nobilem & à *vulgo* ſemotam vitam inſtituunt : alii ſeſe ad litteras applicant. Reliqua gentis pars & promiſcuum vulgus mercaturæ potiſſimum, pecuariæ, naviculariæ, denique & piſcatui, magno ſuo cum bono, attendit. unde, ut compendio dicam, floret vigetque exigua iſta Provincia viris, virtutibus, opibus, omni denique rerum expetendarum genere: &, quod falſe admodum Nicolaius, ne minima quidem uſquam occurrit terræ undæve particula, quæ nõ maximum aliquem fructum producat: quando etiam aridi illi tumuli littorales cuniculis paſſim & id genus animantibus ſcateant: & in ipſa Oceani

maris

maris crepidine, præter maximã copiam avium marinarum, quas cum alias ſemper., tum hieme potiſſimum capiunt, incredibilem quoque ovorum ab illis procreatorum multitudinem colligant. cujus rei ſignanter in Commentariis meminit Julius Cæſar. Et ova autem iſta & aves, tum crudas, tum coctas & ſale conditas, Batavi totis navibus, ut in alias Belgicæ huius Provincias, ſic Antverpiam maxime convehunt: eo ſuo cum quæſtu, ut non tantum plebeii, ſed plerique etiam nobiles, bonam annui cenſus partem huic commercio ferant acceptam. Quæ tam ingens omnium rerum, & potiſſimum caſei, butyri, carnium, piſcium, avium, item pullorum, ovorum, pecudũm, ceſpitum, & pannorum ex lanâ linoque ubertas, ex uberrima iſta regione proveniens, & in varias partes terra-

terrarum diſtribui ſolita, ſi accuratius paullo examinetur, & conjungatur cum ea utilitas illa & quæſtus, quem ex claſſibus ſuis & aſſidua navigandi induſtria homines iſti percipiunt, poterit jure merito dici Hollandia fœcundiſſimum Belgicæ Copiæcornu.

Anacephalæoſis Principum Hollandiæ.

ERat hæc terra, priuſquam antiquiſſimis illis temporibus occuparetur à Batone novercæ inſidias fugiente, inculta prorſus & habitatoribus vacua. verum ipſe & ſucceſſores ſubegerunt paullatim, & aliquot ſæculis coluerunt. Debellatam deinde & ſubjugatam perdomuere tandem & excoluere, magno ſuo cum bono, Romani. legimus enim apud Scriptores, & præſertim C. Tacitum, Imperatores

res Romanos, non ſolum in bello, ſed ad corporis quoque ſui cuſtodiam, plurimum uſos fuiſſe opera Batavorum; quos fortiſſimos ſemper & inſigniter fidos experti ſint, adeo quidem ut idem Tacitus, inter plures eorum virtutes, libro quem ſcripſit de vita Agricolæ, Titi Veſpaſiani temporibus, nihil dubitet uti his ipſis verbis: *Sola Batavorum Tungrorumque virtute Romanus Britannos debellavit.* & Xiphilinus abbreviator, ex Dione, illuſtri profecto Hiſtorico, hoc in ſumma encomion profert: *Sub Hadriano Batavus equitatus, licet armorum pondere gravis, cum Danubium tranaſſet, Sarmatas, hoc miraculo perterrefactos, Hadriano obſequentes fecit.* quin & Plutarchus militarem gentis virtutem mirifice prædicat, dum Batavos vocat equites inter Germanos fortiſſimos

mos inſulæ (inquiens) ejus cultores, quam Rhenus undis ſuis circumfluit. Iſtæ autem virtutes & egregia Batavorum facinora acceptiſſimos eos & æſtimatiſſimos reddiderunt Romanis, qui Batavos nominarunt amicos & fratres Romani Imperii. qua de re narrat alibi doctiſſimus ille Gerardus Noviomagus, inventum ævo ſuo ſub terrâ, non procul ab urbe Leida, vetuſtiſſimum lapidem, cum iſta inſcriptione: *Imp. Cæſ. L. Septimius Severus Aug. & M. Antoninus Cæſ. Coh. xv. Vol. Armamentarium vetuſtate conlapſum reſtituerunt. ſub Val. Pudente leg. Aug. P. P. curante Cæcil. Bat. Præ. Gens Batavorum amici & fratres Romani Imperij.* Atque hoc pacto poſſederunt hanc terram Romani uſquedum Merovæus Francorum Rex, ſub inclinationem Imperii, ex Germania forte in Galliam

liam tranſiens, eam ſibi ſubiiceret, anno, ut vult Paulus Æmilius, quadrageſimo nono ſupra quadringenteſimum. ex quo tempore cœpit eſſe in ditione Regum Gallorum, & quamvis haud minimam eius partem occupaverint poſtea, & ad aliquod tempus tenuerint Dani, & cum iis audaculi quidam prædones, regnantibus tamen Pipinis tota iterum Gallici juris eſt facta. quare Carolus tandem, cognomento Calvus, Imperator & idem Rex Galliæ, anno, ut narrat probatiores auctores, Iↄ ccc lxiii, in Comitatum eam erexit, & proprium ei Dynaſtam dedit Didericum Principem ſanguinis Franciæ, cui & Friſiæ partem attribuit. ac Diderici quidem iſtius primi Hollandiæ Comitis ſoboles imperavit uſque ad mortem Joannis primi, Reguli xvi. Fuere autem omnes hi Principes

X viri

viri admodum bellicoſi, qui di-
tionem, acceptam non ſtrenue
ſolum tutati ſunt, ſed magnope-
re propagarunt, & alias ſibi ter-
ras acquiſiverunt, qualis adeo
Didericus II, qui rebelles ſibi
occiduos Friſios ſubjugavit, &
imperium ſuum in ea Provincia
duplicavit. item Guilielmus pri-
mus, qui anno cIɔ cc xxiii, de-
bellavit Selandiam. & Guiliel-
mus ſecundus, qui anno cIɔ cc
xlviii. electus fuit Rex Roma-
norum, Princeps multis victo-
riis clarus, & præſertim adverſus
Flandros, qui Selandiam ſibi, &
quidem cum cauſſa. vindica-
bant: ſed miſere tandem in ea
Hollandiæ parte quam Weſt-
Friſiam dicimus à rebellibus ſi-
bi Friſiis cæſus. cuius necem a-
criter poſtea ultus eſt filius eius
Florentius V. qui Friſios ita tan-
dem afflixit, ut colla iterum jugo
ſubdiderint. Joanni quem dixi-
mus

mus primo, Florentii V. filio ſine liberis mortuo, ſucceſſit Joannes ſecundus Comes Hannoniæ, genitus ab Adelheide Regis Guilielmi ſorore. Atque hoc pacto Hollandia, Selandia, Friſia, cum Hannoniæ Comitatu coaluerunt. Joanni ſecundo ſucceſſit Guilielmus tertius, pater Guilielmi quarti, qui renuntiatus fuit Comes Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, & Dominus Friſiæ, anno Chriſti cIↄ ccc xxxvII. Cumque iterum defeciſſet hic melior ſtirps, ſucceſſit Ludovicus Bavarus, Comes Palatinus Rheni, & idem Romanus Imperator, Margaretæ Guilielmi IV. filiæ maritus. Ludovico ſucceſſit Guilielmus V. filius. huic rurſus Albertus frater. Alberto anno M cccc iv. Guilielmus VI. cui unica tantum filia Jacoba nomine, inſolens & terribilis fœmina, nec à bellis úmquam & diſ-

cordiis libera. quatuor huic fue-
re mariti. Joannes, frater Caroli
VII. Regis Gallorum: Joannes,
Brabantiæ Dux: Humfredus
Gloceſtrius, frater *Angliæ* Regis
Henrici: &, cui magis ut animo
obſequeretur, quam rationibus
ullis aut jure inducta nupſit, Frã-
co Borſalus, Eques Selandus.
nec Jacobæ tamen ulli ex tot
conjugiis liberi. cui propterea ſi-
ne ulla omnino controverſia, etſi
jam ante ex pacto in poſſeſſio-
nem immiſſus, ſucceſſit Philip-
pus cognomento Bonus, Dux
Burgundiæ, cujus mater videli-
cet Margareta, filia erat Bavariæ
Ducis Alberti, & Guilielmi VI.
germana. Atque hoc modo ad
Burgundicam domum delatæ
ſunt anno cIↄ cccc xxxv. Han-
noniæ, Hollandiæ, Selandiæ, &
Occidentalis Friſiæ ditiones. quę
deinde, modo eodem & via,
quæ cæteræ Belgicæ Provinciæ,
tran-

tranſierunt ad gentem Auſtriacam. Gubernabat Hollandiam ſuperioribus annis, nomine Regis Catholici, Princeps Arauſinus.

Diſſertatio de uſtibili ceſpite.
Belgice TORF *appellato.*

CEſpes iſte uſtibilis, quem appellant *Torf* ſive *Turf*, ita magni in Belgica noſtra momenti res eſt. nec indigna ſane quam attentius paullo conſideres; imo ſuo quodammodo jure videtur exigere, ut exactior aliquanto præbeatur eius notitia. quare & ſuper illa quam fieri poterit breviter diſſeremus. non facturi tamen hic mentionem exilis illius atque aridis ceſpitis, qui in variis Belgicę partibus, ex deſertis quibuſdā & ſterilibus ericetis, (Belgæ *Heyden* appellant) cum Dieſtam verſus, tum & alibi paſſim eruitur, ſcopis, brya ſilveſtri,

 aliiſ-

aliiſque id genus fibris uſque adeo quidem refertus, ut, ſi ad quatuor modo aut quinque à ſuperficie digitos, glebam ſoli illius effodias, & effoſſam deinde ventis ac ſolibus aliquamdiu exponas, ita mox repurgetur & reſtringatur, ut ignis quidem & flammæ reddatur capax, atq; aliquem ſui uſum tenuioris fortunę hominibus præbeat, ſed nullas interim alicuius pretii prunas producat. quod vel ex ignobili illo ceſpitis genere, quod haud procul Antverpia ex ericeto, ut vocant, Hobocano (*Hobokerheyden*) in agreſtium uſum effoditur, quivis facile colligat. nolo inquam de vili iſto atque exili ceſpite quidquam ultra diſſerere. ſed de probo illo dumtaxat ac genuino, qui in variis Belgicæ huius Provinciis, incredibili pæne copia, paſſim conficitur. ſuper quo & ſententiæ admodum va-

variant. aliis quidem affirmantibus eſſe genus quoddam fodinę, ſive rei metallicæ, prorſus ut Leodicenſes illi carbones; aliis contra, humum, ſeu glebam, putribus lignis temperatam: quæ ligna procedere putant ex innumeris illis arboribus, ſub terra & inter ipſoſmet cęſpites ſolitis inveniri, ac vel horridis tempeſtatibus, vel perantiquis diluviis, adeoque univerſali illo Noæi temporibus cataclyſmo proſtratis. quod ut nobis perſuadeant, ſuas quiſque rationes & argumenta in medium proferunt: ſed argumenta prorſus infirma, nec fundamento ullo ſubnixa. aliorum opiniones ſunt ita abſurdæ, ut non mereantur referri. unde fit ut nonnulli, dum conſiderant uſque adeo intricatam & caliginoſam eſſe hanc rem, nihil omnino certi de ea conſtituant, ſed indeciſam malint relinquere.

Ego autem, & materia ipſa, & locis eam gignentibus, recte & ordine conſideratis, ac judicio quoque non neminis mihi adhibito, primum quidem adfirmo: non poſſe hunc ceſpitem eſſe genus aliquod rei metallicæ. nam quod dicitur de carbonibus terræ Leodienſis; palam eſt, eos & cætera quæque id genus metallica, radicoſas, adeoque inter ſeſe diſtinctas habere ſub terra venas: ceſpites contra, inde ab ipſo ſui fundamento, uſque ad ſuperficiem terræ, id eſt ad duodecim, quindecim, viginti, imo viginti quinque ac triginta denique pedum altitudinem, cohærere, & per magna camporum ſpatia, longe aliter quam fodinas, continuari. Sed nec fieri poteſt, ut ſit humus, putrefactarum arborum materie temperata: quoniam alte nimis & ſpiſſe in terram demittitur, adeoque nimia eius eſt

copia.

copia. præterea inveniuntur adhuc inter ceſpitem illæ ipſæ, quas diximus, arbores, tantum non, ut videre eſt, integræ, & Vulturnum verſus porrectæ. unde colligas, crebris illis & vehementiſſimis Cauris, ex alto ut plurimum flantibus, quondam fuiſſe dejectas. quæ etſi inter effodiendum rumpantur, & inſolita hodie craſſitudine arguantur prorſus antiquæ, ſintque in tantum exuccæ, ut poſtquam ſiccaveris, nullum fere in iis remaneat pondus: non propterea tamen ſunt putridæ, neque liquidam ullam edunt materiam. imo ſtatim ſiccеſcunt, & in ignem coniectæ mox ardent, gratam inſuper flammam & odorem ſuaviſſimum emittentes. videntur enim revera fuiſſe pinaſtri. Sed quid amplius? in Friſia, ubi maxima proculdubio ceſpitis huius eſt copia, Pliniano ævo, arbores

prorſus nullæ; noſtro, admodum paucæ : imo qua ceſpes eruitur ſub terra itidem nullæ; quas in Hollandia tamen, & ſpeciatim ad Ultrajectum, ac Rhenam & Amersfordiam verſus, non diffiteor inveniri. Ex arboribus itaque ſubterraneis, quod ridicule tamen quidam adfirmant, ceſpites noſtri non gignuntur. Unde omnibus rite expenſis, inducor tandem ut credam, adeoque firmiter mihi perſuadeam, naturalem hanc eſſe paluſtris illius ac pinguis atque decoctæ telluris glebam. conſtat enim, jam tum Plinio, ut mox è verbis ipſius videbimus) ceſpitem iſtum in Friſia veram terram fuiſſe, & indigenas, præ lignorum inopia, eo ad ignem tunc uſos. non aliter quam fecere poſt illa & in hunc uſque diem faciunt poſteri. qui & ipſi tam magnam eius conſumunt vim, & tam largiter eum

aliis

aliis ſuggerunt, ut niſi eſſet res naturalis, & à matre tellure procederet, jampridem & *venæ* (ita terram bituminoſam, ex qua illi ceſpites foco apti conficiuntur, vulgo indigitant) omnes forent exhauſtæ, & perpetua foſſione perventum fuiſſet ad fundum. Sunt qui dicunt, niſi penitus auferatur ceſpitum fundamentum, & (ut ſic dixerim) mater, eos cum tempore pullulare rurſus atque ſuccreſcere. alii vero adfirmant, ubicunque aſſidue fodiatur, plures tandem non inveniri. quod non rationibus tantum, ſed exemplis etiam probant, varios paſſim monſtrantes campos, ſeu ſtagna vetius & paludes, ita prorſus exhauſtas, ut nihil amplius tale videantur producere; ſicuti alios contra oſtendunt locos ab incolis terra aliunde advecta exoletos, neque ceſpitem tamen

gignentes. at videndum hic ſcilicet, quidnam poſt ſæculum unum alterumve futurum ſit. Noſtra quidem ſententia, ſive exhauriatur in totum, ſive non exhauriatur hoc ſolū, cum tempore rediturum eſt ad ingenium, ac vacuefacta illa & paludoſa nunc loca, inſecuturis in poſterū tempeſtatibus, (quæ videlicet huic tractui fieri nequit ut perpetuo deſint) novo iterum limo cœnoque opplebuntur, unde porro & efficacia Solis, & continuo temporis lapſu, exoritura de integro ceſpitis huius materies. quin & nova illa quam dixi terra, qua expletæ nunc temporis priſcæ illæ & interruptæ ceſpitū venę, corrupta tandem & putrefacta undarum & ſolis vi, meliore (ut alias factum) ex parte in ceſpitem convertetur. quod ſi minus fit intra annos quinquaginta vel ſexaginta, at fieri poterit

rit intra centum aut plures. utut ſit, (meo quidem judicio) fiet, atque inſitā hanc à natura qualitatem terra iterum induet. nam cum benigna illa omnium rerum parens lignorum defectum hoc ſubſidio expleverit, nolet profecto degenerare, aut partibus ſuis deeſſe. Fateor quidem, in Hollandia, vendendi magis & in quaſcunqae terras diſtrahendi cupidine, quam domeſtica incolarum neceſſitate, tantam perpetuo ceſpitis copiam erui, ut vereantur nōnulli, ne in hac Provincia venæ tandem deficiant. quare & actum jam olim, & nunc etiam agitur, de cavendo, ne cuiquam in poſterum liceat eum evehere. Sed enim hic culpanda non eſt natura: verum homines potius accuſandi, qui improbe nimis eam ſatigant. Cum itaque tam probati auctores teſtentur, ceſpitem ante annos jam præter-
propter

propter mille quingentos fuiſſe terram naturalem: non eſt quod credamus, eum umquam iri exhauſtum. ſed magis exiſtimandum, ſingulari Dei beneficio, & ab origine talem fuiſſe, & in poſterum porro talem manſurum. niſi nimia tamen habendi cupiditate, & inſolitiſſimo illicitis modis, ipſam matrem noſtram naturam corrumpamus ipſi & obruamus. Age vero, exſcribamus hic ipſa Plinii verba, è capite primo libri decimi ſexti, ubi de Friſia, coram ipſi luſtrata, eſt ſermo, deſumpta, atque altius paullo, ut, quid de ceſpitibus iſtis, ac tota Provincia ſentiat, capiamus, repetita. *Sunt vero & in Septemtrione nobis gentes viſæ Chaucorum, qui maiores minoreſque vocantur. vaſto ibi meatu, perpetuis bis dierum noctiumq; ſingularum intervallis, effuſus in immenſum agitur Oceanus, æternam*

nam operiens rerum natura controverſiam, dubiumque, terra ſit an maris pars. Illic miſera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia ſtructa manibus ad experientiam altiſſimi æſtus: caſis ita impoſitis, navigantibus ſimiles, cum integunt aqua circumdata, naufragiis; cum vero receſſerunt, fugientes cum mari piſces circa tuguria venantur. Non pecudes hos habere, non lacte ali, ut finitimos; ne cum feris quidem dimicare contigit, omni procul abacto frutice. Vlva & paluſtri junco funes nectunt, ad prætexenda piſcibus retia: captumque manibus lutum ventis magis, quam ſole ſiccantes. terra cibos & rigentia Septemtrione viſcera ſua urunt. Potus non niſi ex imbre ſervato ſcrobibus in veſtibulo domus, &c. Invenitur, ut dixi, hic ceſpes in variis Belgicæ Provinciis, & primo quidem Brabantia, tractu eius

quem

quem vocant Campaniam (*Kempenlandt* :) ubi mediocri ſane eſt bonitate. In maritimis Flandriæ locis opido quam depreſſis & paludoſis, quæ Teutonicis ſermo *Moeren* ſeu *Moren*, incola vero *Moringen* dictitat; unde, juxta Geropium Becanum, *Morinorum* apud Romanos vocabulum, ceſpites minus boni, ut qui flammam quidem ſubnubilam, fumum autẽ præcraſſum & graveolentem reddant. In Selandia peius forte effoditur genus, quod indigenæ *Daring* appellant. In Gelria magna ſatis conficitur adprobi ceſpitis copia. Verum & plures longe, & meliores, quã alia quavis terræ provincia, ſuppedit eos Hollandia, & Friſia: ubi immenſos plane & per continuas aliquot leucas diffuſos campos; & in iis udos ac molles huiuſmodi ceſpitis paſſim adſpicias, in glebas, dimidiatorum

laterum

laterum forma, diſſectos. quæ recte porro & decenter compoſitæ ventis juxta & ſole ſiccantur, ac ſi demum ad perfectionem deductæ, in uſum familiarem convertuntur. Atque hoc modo aptatus ceſpes(talis autem eſt ille, qui hominibus iſtis quotidiano in uſu eſt) ignem ſtatim ut eo contingitur, apprehendit, ac ſine alio fomite magis magiſque paullatim ardeſcit, donec prorſus conſumatur. reddit autem calorem admodum vehementem, & prunas, illis è ligno non meliores dumtaxat, ſed & longe diuturniores: ita quidem ut maximum ſui uſum habitatoribus præbeat, in coquenda præſertim cerviſia, repurgando ſale, aliiſque id genus miniſteriis, validum atque durabilem ignem poſcentibus, etſi dum primum accenditur, fumum eiiciat aliquatenus graveolentum, ac

parum ei aſſuetis & prope nimis adſtantibus inſalubrem. quod vitium tamen, pro loci unde eruitur qualitate, vel intendi ſolet, vel minui. Neque vero prætermittendum eſt; probam etiam ceſpitis hujus materiam & inventam jampridem, & inveniri etiamnunc in Galliæ Picardia, & confiniis Ambiani. quam & aliis quoque paluſtribus regni illius locis reperiri adfirmant, ubi tamen non tentant eam eruere, quia cum plurimæ in propinquo ſint ſilvæ, unde accolæ petant ligna, non videntur factutos ſe operæ pretium. Et quid amplius? eruitur quoque uſtibilis iſte ceſpes in variis Angliæ Scotiæque provinciis, haud uſque quaque ſpernendus. Diſco inſuper ex diario quodam, ſive mavis itinerario Nicolai Pithorij, Domini Champgobertani oculati (ut dicitur) teſtis, ſolven

ten

tem nuper ex Anglia Martinum Porbisherum, & Floridam, novi illius Orbis, vel, ut proprie magis dicam, Americæ regionem, ad Caurum ſitam, petentem, in inſulas Orchadas, numero ut ſubjungit triginta, ſupra Scotiã, & ſub gradu ſexageſimo ſexto latitudinis poſitas, eſſe delatum: ubi cum deſcendiſſent in terram, inter alia obſervarunt, etiam eas gentes, ut qui deſtituantur lignorum copia, ceſpitibus iſtis è terra & pecudum excremento confectis, vicem lignorum explere. verba ipſius auctoris ecce iſta: *Ædificia illorum & domicilia valde ruditer, & nullo propemodum ſumtu è ſilice, & ſine ullis fumariis extructa ſunt, ignem in mediis ædibus excitant, in quarum una parte paterfamilias cum tota familia cibum & ſomnum capit, in altera ſub eodem tecto pecus ſtabulatur. Genus eſt hominum ab*

omni civili cultu alienum: lignis carent: ſed eorum uſum explent, ceſpites terreni & boum excrementum. Hactenus illud diarium. Quæ omnia quo attentius mecum conſidero, eo tenacius in ſententia mea confirmor: iſtā nempe uſtibilis huius ceſpitis materiam eſſe veram & genuinam terram, ab inſita ſoli ipſius & cœli virtute productam, nec ante interituram,

Exitio terras quam dabit una dies.

Uritur & in Friſia, præſertim apud agricolas, etiā excrementū boum (ea nāque eſt pecoris hujus multitudo) ventis magis quā ſole ſiccatum. Explicemus vero deinceps, quāta fieri poterit brevitate, duos plane mirandos caſus, è ceſpitibus hiſce noſtris exortos, nulla interim facta mentione infortunii iis adſimilis, quod anno Chriſti 1541, in Brabantia

bantia contigiſſe refert Becanus. Horum alter evenit in ditione Ultrajectina inter Rhenam & Amersfordiam opida. ubi cum anno 1567. opilionis cujuſdam incuria, vaſtum glebæ iſtius campum ignis apprehendiſſet, brevi temporis ſpatio eos fecit progreſſus, ut & maximum dederit damnum, & novum prorſus atque horrendum exhibuerit ſpectaculum. cum, inaudito quodam exemplo, & aqua ſimul & tellus arderent, ac tam denſum tamque adſpectu tetrum fumum evomerent. quod luridum tamen atque fœdum incendium, accurrentibus undique magno numero ruſticis, & novas certatim foſſas novoſque aggeres flāmæ objicientibus, aliaſque id genus adhibentibus machinas, ſuffocatum tandem, atque extinctum eſt. Alter vero, & ſævior multo & magis quam prior

ille horrendum, ante multos, ut perhibent, annos in Friſia & finitimo maris Auſtralis tractu evenit. ubi ſcilicet hodieque exiſtit, & ab accolis demonſtratur ampliſſimus quidam lacus (cui vulgo nomen, *de Ioncker-meer*,) duas fere in latitudinem, totidemque in longitudinem leucas protenſus, & ſic ſatis profundus. hunc lacum aſſerunt olim fuiſſe fodinam, ſeu venam huiuſmodi ceſpitis, factam vero Jonckerii ignem inibi excitantis culpa, ut terram corripiens flamma ita ſtatim exarſerit, ut nulla omnino diligentia, nullo humano conatu, repugnante nimirum & loci ingenio, potuerit umquam reſtitui. ita quidem ut exhauſta jam funditus omni illa materie, in cujus locum magno impetu ſtatim ſucceſſit aqua, novo ſane & admirando exemplo, lacus iſte formatus ſit, qui & piſcibus

hodie,

hodie, etſi ob fundi incommodum minus laudatis, admodum copioſus: & navigantibus ultro citroque negotiatoribus perquã oportunus: licet ita anguſtus tamen & ſinuoſus, ut flante quovis vento adverſo, nihilo mitiores excitet fluctus, neque minus periculoſus ſit, quam vel turgidum aliquod mare. Qui autem ſcimus an non aliquando & iſte lacus, faciente inſolita aliqua maris tẽpeſtate, novo iterum luto ſit redimplendus, & cum tempore ad antiquum ceſpites producendi ingenium rediturus?

Et hactenus quidem de nobiliſſima iſta & celeberrima Regione, deſcribamus deinceps Selandiam, Comitatui Hollandiæ jam ab antiquo ſociatam.

COMITATUS SELANDIÆ DESCRIPTIO.

SELANDIÆ *Nomen, & INSULÆ SELANDICÆ, Limiteſque earum, & Aggeres.*

SELANDIAM ſunt qui dicant eas inſulas eſſe quas priſci *Arboricas* dixerint, Recens terræ vocabulum, ſi quidem Danorum annalibus credimus, inditum ipſi à Danis. quos occupatam, ut mox dicturi ſimus, Walachriam, de primaria quadam Danici Regni inſula, *Selandiam* nominaſſe adfirmant, atque hoc ipſo nomine & finitimas aliquot inſulas eſſe complexos. Equidem, prætermiſſis

miſſis hoc loco alienis opinionibus, componi credam hoc nomen ex duplici voce vernacula, *Zee* nimirum & *land*, quas Latine expreſſeris *terram marinam*, quæ originario mihi ſatis videtur liquere. Galli ad Belgas fere accedunt; & *Zelande* pronuntiant. Itali vero hanc vocem, ut & cæteras omnes, ad dulcedinẽ idiomatis noſtri aptamus, & *Silanda* vulgo proferimus. Conſtat, ut verbo dicam, Selandia noſtra ex variis Inſulis, quarum ſingulis ſua diſtinctim vocabula, ut maiori quidem ex parte ſuis infra locis docebimus. atque hæ quidem Inſulæ, quindecim, vel, ut alii volunt, ſedecim numero, generali iſto Selandiæ nomine continentur, & Comitatũ inter ſe junctæ conſtituunt. Poſitæ autem ſunt in ea maris Oceani parte, quæ ad Africum Zephyrumque obvertitur, ſed

Cauro tamen magis expoſitæ. à Septemtrione habẽt ſinus quoſdam marinos, pæne inſtar canalium, & nominatim *Flackaam*, qua ab Hollandia ſeparantur. ab Auſtro eſt lævum cornu ſeu brachium Scaldis, quod vulgo audit *de Hondt*, & à Flandria eas diſtinguit. ab ortu, dextero eius fluminis cornu, quod vocabulum nuſquam mutat, à Brabantia diſpernuntur ab occaſu denique Oceanum habent, & Anglis jacent obverſæ. Quidam Inſulas iſtas Selandicas ſuſpicantur eaſdem ſaltem in partem eſſe, quas Cæſar efficere tradit Rhenum, multis capitibus in Oceanum influentem. Alii continentem eius ævo fuiſſe exiſtimant, ac Scaldim, ipſas & inter ſeſe & à Flandria diſtinguentem, influxiſſe, ut perhibet idem Cæſar, in Moſam eo adeo loci, ubi in Mervam hactenus influit rivulus

Zoma.

Zoma. Cornelius Battus viſa ſibi commemorat monumenta quædam antiqua, & quibus perſcriptum eſſet, Selandiam, anno circiter primo à nato humani generis Redemtore, & aliquandiu poſt, aliud nihil fuiſſe quam perpuſillas aliquot Inſulas, foſſis quidem diſtinctas, ſed cultoribus vacuas. Joannes Reigersbergius rerũ Selandicarum chronographus, & cum eo alii quidam recentiores, oſtendit pleraſque has Inſulas, aut ſaltẽ proximas quaſque, cohæſiſſe olim videri cum Flandria, & ab ea inuſitata quadam maris tempeſtate, Scaldi novam viam aperiente, anno DCCCXXXVIII. fuiſſe avulſas. Agit etiam hiſce de rebus, in Principis, hodie Regis, Philippi per hunc tractum itinere, Joannes Chriſtophorus Calvetus Stella. Lævinus Lemnius, medicus Zirizæus, de quo infra prolixius,

lixius, ut amantior patriæ civis, cuperet quidem, Selandos eoſdem fuiſſe cum priſcis illis Mattiacis, Cornelio Tacito celebratis; cuius etiam verba è libro De moribus Germanorum profert: *Eſt in eodem obſequio Mattiacorum gens, Batavis ſimiles, niſi quod ipſo terræ ſuæ ſolo ac cœlo acrius animantur.* Verum ſiquis attentius paullo rimabitur præcedentia ſimul & ſubſequentia Taciti verba, inveniet ſane, Mattiacos in Germania olim habitaſſe & quidem, ut addit ille, trans Rhenum. Neque vero is auctor in toto hoc ſcripto alium ſibi propoſitum habet ſcopum, quam ut ſolos Germaniæ populos, urbeſque ipſorum & mores deſcribat. Batavos autem quod nominat, in exemplum dumtaxat facit, & ut oſtendat quod obſequii genere Mattiaci olim Romanis eſſent obſtricti. nec invenietur

nietur profecto vel hoc ipſo opuſculo, vel in reliqua omni hiſtoria ullam omnino facere mentionem alterius cujuſcumq; rei, quæ referri poſſit ad noſtros Selandos. Quid ne Plinius quidem, aut Strabo, aut cæteri illi claſſici & antiqui ſcriptores, ullam uſquam invenientur huius rei notitiam habuiſſe. Illud potius colligetur, denominatos fuiſſe Mattiacos à Mattiaco (imo Mattio) urbe Germaniæ, & (quod ex Ptolomæo obſerves) Provinciæ Haſſiæ; urbe, inquam, calidis fontibus celebri. unde Plinius lib. XXXI. cap. II. *Sunt* (inquit) *& Mattiaci in Germania fontes calidi trans-Rhenum, quorum hauſtus triduo fervet. circa marginem vero pumicem faciunt aquæ.* & Martialis:

Si mutare paras longævos cana capillos,
Accipe Mattiacas (quo tibi cal-(va?) pilas.

Conſi-

Conſideretur porro, ut alias rationes nunc omittamus, in quanam parte Selandiæ, quæ in aquis quodammodo tota eſt poſita, umquam fuiſſe potuerint nobiliſſimi illi calidi fontes, ex ipſis adeo terræ viſceribus ſoliti ſcaturire: & conſtabit profectò; veteres illos Martiacos nihil habere cum Zelandis noſtris commune.

Inſulas autem iſtas ſigillatim deſcribere, & peculiaria quæque in iis attingere, mihi quidem propemodum videatur: inter ἀδυνάτα. cum earum nonnullæ horrendis Oceani tempeſtatibus inundationibuſque haud ſemel mutaverint, & in aliam aliamque formam ſubinde tranſierint. alia maris quadam alluvie incrementum nonnunquam capiente; alia turſus decreſcente: iſta fluctibus aliquando cooperta; illa viciſſim emergente. Quare præci-

præcipuas tantum, adeoque firmiores quaſque & quæ altius paullo caput è fluctibus exerunt, ſpeciatim & ordine deſcripturus ſum. atque hæ quidem numero ſeptem: quæ capite quodã Scaldis ipſi oſtio eius propinquo diſparantur in duas partes, relictis earum tribus, nimirum Scaldia, Duvelandia, Tola, ad Orientem, ideoque Orientalibus, vulgo *Beooſter-ſcheld:* quatuor vero, Walachria nempe, Zuidbevelandia, Nordbevelandia, Wolferſdica, una cum angulo quodam terræ Walachriæ quondam continente; ad Occidentem, ideoque vulgo *Bevveſter-ſcheld*, appellatis. Qua mare eſt, muniuntur & præſervantur perpetuis ſabuletis, & albicantis arenę collibus, à natura vel Oceani magis alluvione factis. cætera, quæ videlicet magis mediterranea, & fluminibus tantum alluuntur, clau-

claudunt undique & circumdant mirifici quidam aggeres, iſti *Dÿcken* indigetant, ea utplurimum altitudine, quam longa quadam ac diligenti obſervatione & experientia didicerunt requiri ad excludendam Oceani inundationem, id eſt duodecim præterpropter brachiorum Florentinorum, ſive decem ulnarum Antverpienſium. latitudo ad ipſas radices viginti quinque ut minimum ulnas continet. extruuntur autem hi aggeres manu atque induſtria hominum è terra, nõ ordinaria illa aut communi, ſed figulari, & tenaciſſima quadam argilla; & introrſus quidem materia lapideque effarciuntur, extrorſus vero, ad repellendos continuos illos & mordaces undarum impetus, veſtiuntur veluti faſcia quadam è ſtramine duos tantum digitos craſſa, ſed revincta nimirum &

retor-

retorta tamque induſtrie concinnata, ut aggerem ſupra quam quiſquam credat tueatur, & incolumen præſtet. Etſi autem requirantur, ad aggeres iſtos reparandos & ſartos tectoſque præſtandos, non immenſi dumtaxat ſumptus, ſed & improbus quidam ac perpetuus labor: ea tamen eſt incolarum induſtria & in talibus hiſce tractandis ſagacitas, ut quam optimis & æquiſſimis legibus omnem iſtam rem conſtituerint, aggereſque analogos & pro ratione latifundiorum, poſſeſſoris cuiuſque ſumptibus, ſarciantur.

Soli Zelandici indoles, & fœcunditas.

SOlum Selandicum pingue inprimis, & cum aliarum quarumlibet frugum, tum tritici maxime, feraciſſimum. quod ea quidem hic bonitate ſimul &

Z ſpecie

ſpecie naſcitur, ut non temere uſquam pulchrius meliusve invenias. accedit enim quam proxime ad oryzam. provenit item copioſe hic coriandrum. (f. *Koolſaed* innuit.) Gignit item Selandia ſat multas lauros; quarum baccæ ad juſtam etiam maturitatem pertingunt. quod cæteris tamen hujus tractus provinciis à natura negatum eſt. gignit varia herbarum medicinalium, ſive ſimplicium genera. quæ cum feliciſſime ſimul & copioſiſſime iſthic proveniant; non temere tamen, uti Lemnius quidẽ contendit, alibi uſquam invenias, & tamen altius aliquanto, quam in cæteris Belgicę regionibus, Hollandia tantum & Friſia, cum adjacentibus aliquot membris, excepta, in Selandicis hiſce inſulis polus arcticus elevatur. unde rigidæ magis & frigidæ eſſe, &, quod ſequitur, pauciores, aut ſaltem

ſaltem acerbiores fructus, minus item herbarum & florum producere, naturali quadā analogia debere videantur. quod palam ſatis oſtendit, quantopere aqua marina tepidis ventis temperata & cœlum ſimul in ſolum Inſularum iſtarum edulcet. docet idem & Anglia. quę cum magna ex parte ſit Provincia hac ſeptemtrionalior, nuſquam tamen non & pulcherrimis lauris & vario arborum genere largiter ſcatet. tum variis quoque herbarum & florum, Belgicæ fere denegatorum, ſpeciebus nulla non anni tempeſtate luxuriat. & quid amplius dicam? conciliat pater Oceanus tantam illo cœlo temperiem, ut per totum quam longus eſt annum omne pecudum genus non noctu minus quam diu in paſcuis oberrare permittant. contra vero quemadmodum illic moderatur hibernum

frigus, ita hic æſtivos calores intendit. unde fit ut in Anglia, cum alia quædam fructuum genera, tum uvæ inprimis, non capiant eam, quam in hac *Provincia*, maturitatem. Gignit inſuper ager Selandicus rubiæ quam tinctorium vulgo appellant præſtantiſſimum genus, ea quidem luxurie, ut non parvam Europæ partem largiter ea impertiatur. Eſt & ceſpitis quoddam uſtibilis, ſeu bituminis potius genus, incolæ *Darring* appellant, ſed quod nefas eruere, maxime juxta *Dicas* illas, ſeu aggeres, cum ſit ſoli ipſius veluti fundamentum, & magnum adverſus aquas præſidium. Sunt denique & uberrima pecori ſaginando paſcua, & innumera paſſim in uſus humanos piſcoſa ſtagna.

Opida & Ordines Selandiæ.

IN Selandia octo ſunt oppida muris clauſa, *Middelburgum* videlicet, *Ziriza a, Veria*, quæ & *Campo-Veria, Fliſſinga, Tola, Agger Divi Martini. Romerſvvalia, Goeſa.* Sunt & alia quædam haud infimi nominis, etſi muris carentia, pagi denique centum & duo. Ordines huius Provinciæ conſtant ex uno Antiſtite, unico Nobili, & Magiſtratibus opidanis.

De Inſula SCALDIA, *eiuſque opidis* ZIRICZÆA, & BROUWERSHAVIA.

SEd accedamus deinceps ad peculiarē magis ſingularum Inſularum deſcriptionem, initio ſumto ab Orientalibus. quarum quæ prima eſt, Latine ſcribentibus *Scaldia*, à præterlabente

Z 3 Scaldi,

Scaldi, Belgis vero *Schouvve* vernacule dicitur. ea olim multo quam hodie maior: graſſatis nimirum in eam diluviis & horrendis Oceani tempeſtatibus, quæ attriverunt valde & minuerunt: ſicut ambitus hodie ſeptem tantum leucas includat. Scaldia olim Nordbevelandiæ tam vicina, ut Inſulæ utriuſque cultores, quos latiſſimus nunc aquarum tractus diſpernit, alii alios compellarent, & alteanos miſcerent ſermones. Illuſtrat præcipue Inſulam opidum

ZIRICZÆA.

DIſſidet Arnemuda quinqne tantum & ſemi, Middelburgo vero ſex ipſas leucas. habetur autem pro urbium univerſi Comitatus Selandiæ vetuſtiſſima: ut quam conditam narrent Annales anno Chriſti Iↄ cc xlix ab Illuſtri quodam viro Ziringo, cuius

cuiue hactenus claret vocabulo. Fuit olim & fama ſimul & commerciis nobiliſſima, adeoque inſignis & magni momenti res: quod pulcherrimum nempe & valde à mercatoribus frequentatum haberet portum. quem cum obſtruxiſſet poſtea & arenis oppleſſet Oceanus, maximum quidem civitati inflixit vulnus, ſed non adeo tamen letale, quin & mœnibus hodie cauſa, & cum domibus ſatis concinnis, tum & publicis ædificiis, mediocriter ſit exculta. unde Selandiæ quidem univerſim acceptæ ſecundum demum eſt opidum, at Orientalium eius Inſularum metropolis. Neque vero extincta hic prorſus commercia. quæ, ſi ſalem potiſſimum ſpectes, & rubiam illam tinctorum, cuius Inſula iſta præ cæteris ferax, magis magiſque in dies gliſcunt. Zirizæus erat clariſſimus ille Aman-

dus, Ordinis Divi Franciſci, variorum ſcriptorum auctor, ut videre eſt nominatim in Bibliotheca Geſneri. Item Jacobus Suſius, Dominus Griſenordæ, illuſtris profecto ac Doctus admodum vir, & antiquitatum ſtudioſiſſimus. Lævinus Lemnius, quē & paullo ante laudavimus, Medicinæ potiſſimum Doctor, ſed idem inſigniter eruditus. ut ex pluribus quidem laudatiſſimis viri operibus conſtat. cuius filius item Guilielmus, eiuſdem cum patre profeſſionis, ob egregias ſuas virtutes, medicum agit apud Suecorum Regem Ericum. Petrus denique Peckius, eruditiſſimus vir, & perplurium magni in publicum fructus librorum ſcriptor.

Additamentum. [Gaudet opidum *Zirizæa* luculentiſſimis aliquot privilegiis, inter alia; ut, qui civis ob facinus capitale in

vitæ

vitæ diſcrimen adductus ſit, & vel capite luerit culpam, vel fuga ſaluti ſuæ cõſuluerit, mulctari non poſſit graviore quam ſexaginta librarum Pariſienſium, id eſt florenorum triginta pecuniaria pœna. Item quod Magiſtratus urbanus non in urbem tantum eiuſque diſtrictum, ſed in totam inſuper Scaldiam, maxime quod ad rem agrariam pertinet, ſummam obtineat poteſtatem. quæ exerceri ſolet ab altero Conſulum urbanorum, pari fere (ſi parvis componere maxima fas eſt) qua apud Romanos olim Tribuni plebis, auctoritate prædito, atque inde vulgariter dicto *de Gemeynte-Borgermeeſter*, quaſi dicas Conſul communitatis: & ſeptem præterea curatoribus aggerum, qui vulgo audiunt *Heym-raden*, id eſt, conſultores domeſtici, ſive communis terræ conſiliarii. Inter publica urbis

ædificia eminet maxime templũ illud quod vulgo audit *dat Monſter*, dedicatum alias Divo Lævino, primo, vel inter primos, Selandiæ noſtræ Apoſtolos. pulcherrimum ſane opus, bene & apte commenſuratum, ac multa luce undique colluſtratum. cui non aliud uſquam in tota Selandia dederis ſimile. etſi multum tamen de veteri illo ſplendore amiſerit, cum de cœlo tactam flagravit anno quem numeralis iſte verſiculus indicat:

CRAS CANE TERRIBILIS.
NON POSSVM. CVR?
CADIT IGNIS. 1466.

Quem ut melius capiat lector, ſciendum, iſtud incendium accidiſſe pridie feſti Dedicationis. ſcilicet autem in ipſo feſto ſolere à ſacerdotibus decantari tritum illud, O *quam terribilis eſt locus iſte &c.* eſt ergo dialogiſmus, inter

ter quemvis de populo & preſbyterum inſtitutus. Sicuti illud etiam, quod inter doctos & ſcriptis illuſtres viros Zirizæa noſtra oriundos non recenſet Guicciardinus peritiſſimum illum & celeberrimum Medicum, eundemque dulciſſimum vatem: Jaſonem inquam à Pratis, qui paſſim in editis ſuis operibus Zirizæum ſe eſſe teſtatur.]

Capti ſunt ante aliquot annos nõ procul hoc opido piſces quidam marini, horrifica plane & monſtruoſa corporis vaſtitate. cum cætera forma, tum perlongis præſertim ore exertis dentibus, apro haud multum abſimiles, verum corporis mole vel bis tanto maiores; ac longe magis terribiles. Convexerunt eorum nonnullos Antverpiam, ubi, ob carnis ſuavitatem, care admodũ venierunt. Et ad hoc quidem exemplum capiuntur ſubinde in hiſce

hiſce iſtorum ac Batavorum etiam aquis, vaſti quidam, horrendi & monſtruoſi piſces, qui ad excoquendum potius oleum, quam in alios uſus, expetuntur: nec tamen, utcumque res cedat, luendo ſunt graviſſimo illi detrimento, quod, ordinariis illis piſcibus aſſiduè deprædandis, fugandiſque & deglutiendis, piſcatoribus inferunt.

BROUWERSHAVIA.

Est in eadem Inſula BROUWERSHAVIA opidum Zirizæa duabus leucis abjunctum, & prædivite magis piſcatore, quam alio cive populoſum. Natus hinc tamen Petrus à Brouwershavia, vir inſigniter litteratus, & Theologicorum aliquot operum ſcriptor. Item *Cunerus Petri, Leovardienſium primus Epiſcopus.* Erat non ita pridem hoc opidum in ditione Maximiliani Burgun-

Burgundi, Bevriȩ apud Flandros Dynaſtæ, & ſupremi in Belgio Archithalaſſi, cui una cum aliis aliquot opidis terreniſque mox deſcribendis obvenerat ex hæreditate Illuſtriſſimæ Dominæ Annæ, aviæ ſuæ maternæ, ortæ ex illuſtri & præpotenti quondam familia Borſalorum, in meliori ſexu jampridem extincta. Cujus Maximiliani quidem, anno 1558 ſine liberis mortui, bona delata ſunt filiis Dominorum Boſſutii & Cruningii, quorum uterque in matrimonio tunc habebat ſingulas eius ſorores. Sunt denique in hac Inſula multi pagi, & virorum nobilium arces.

DUVELANDIA.

Alterum Inſularum Orientaliũ, & quæ Scaldiæ collateralis eſt, DUVELANDIA dicitur, à columbarum in ea mirabili multitudine: ſonat enim nomen-

menclatura illa vulgaris regionem ſeu territorium columbarum. Erat autem & ipſa nuper in ditione jamdicti Archithalaſſi. Patet quidem in ambitum circiter quatuor leucas: ſed quia nimis expoſita violentæ undarum injuriæ, nullo prorſus infeſſa eſt opido. at pagos tamen habet cõpluſculos, & cum domi nobilium, tum & aliorum quorumdam prætoria. Submerſa fuit & ſalo cooperta anno Chriſti cIↄ Iↄ xxx, cum magno hominum pariter & jumentorum clade. ſed inſtauravit eam & Neptuno rurſus eripuit, etſi non ſine immenſo ſumptu, labore, atque induſtria; vir Illuſtris Adolphus Burgundus, Maximiliani prædicti parens.

Additamentum. [Potior hujus Inſulæ pars, ea nempe quæ vulgo dicitur *de vier Bannen*, id eſt, quatuor fora ſeu Conventus juri-

juridici, & totidem pagos, Neokerkiam nempe, Oudekerkiam, & Vianam Cappellamque compleſtitur, emptionis jure & titulo ante annos aliquot ceſſit opido Zirizææ. cuius Magiſtratus, interiecto nuper inter utramque Inſulam aggere, Duvelandiam iſtam cum Scaldia ſua conjunxit.]

De TOLA *Inſula & opidis.*

TErtia Orientalium Inſularũ eſt TOLA, quæ à territorio Aggeris Divi Martini intermedia tantum foſſa, & ea quidem vix ſemiplena, dividitur. unde tamen contendunt nõnulli duas eſſe diſtinctas Inſulas. quod ut olim ſic habuiſſe concedam, hodie tamen revera tantum eſt una. in qua duo ſunt mediocri ſatis conditione opidula. quorum alteri nomen eſt Tolæ, à vernacula dictione *Tol*, quæ vectigal ſignifi-

gnificat. olim ſiquidem eo loci telonium, & pendebantur Principi vectigalia. unde non opidum modo, ſed & Inſula ipſa denominata. alterum dicitur Agger Divi Martini, *Sinte Maertensdijck* vulgo. quibus ſui deinde accedunt pagi.

Aliæ quædam minorum gentium Inſulæ, quas ab Orientali illa Selandiæ parte conſpicias, ita parvi momenti, ac pene deſertæ ſunt, ut non ſit operæ pretium pluribus eas attingere. Quare cum ipſo Sole tranſituri ſumus ad Occidentem. ubi plura multo quam tractu hucuſque deſcripto & viſenda occurrunt & deſcribenda. ac primo, quidem Walachria.

De

De WALACHRIA *Inſula eiuſque opidis* MIDDELBURCO, VERA, FLISSINGA, & ARNEMUDA: *itemque de Pagis celebrioribus.*

QUam Latine ſcribentes WALACHRIAM nominant, ea uulgo dicitur *VValcheren*, eſtque omnium univerſæ Selandiæ Inſularum primaria, nõ tam ipſa ſoli amplitudine, quod decem tantum leucas in ambitum continet, quam ſecuritate quadam & opportunitate ſitus, opidorum conditione, & incolarum non opulentia minus quam denſitate. Tria numerat opida muris clauſa, *Middelburgum*, *Veram*, & *Fliſſingam*, Inter opidula vero muris carentia *Arnemuda* eminet.

MIDDELBURGUM.

MIDDELBURGO inde factum eſt nomen, quod ſita ſit tantum non in Inſulæ meditullio. ſonat enim vox Belgica *Burgum* ſeu arcem *in medio* poſitam. Jacet autem peropportune ad latitudinis gradus quinquaginta unum & tres quadrantes: & ab ortu quidem Arnemuda, dominii ſui portu, tantum leucæ triente, à Libonoto vero SluſaFlandrorum quinque, Dordrechto deniq; Batavorum metropoli decem & ſeptem leucarum intervallo abiungitur. Duplex urbi eſt alveus, vel (ut vulgo loquuntur) portus, uterque non longe ab Arnemuda inOceanum influens, quorum alter antiqui eſt operis, ſed fluxuoſus idem & ſtrictus, ita ut ultra vix frequentetur. alter recens effoſſus, & ea cum latitudine, tum profunditate,

tate, ut ingentes & ſupra ducentarum *laſtarum*, id eſt, quadringentorum doliorum naves, inde à portu Arnemudenſi uſque ad ipſam urbem, magna civium commoditate ſimul & voluptate, commeantes nulla difficultate tranſmittat. Ipſa urbs luculenta in primis, amœna, & cum firmis admodum mœnibus, tum latis quoque & altis foſſis, alio rurſus muro extrorſus vinctis, omni ex parte clauſa. quæ omnia, ut examinanti liquet, prævalidam eam & probe adverſus hoſtem communitam efficiunt. Vias habet admodum elegantes, domos amplas & laxas, pulchra denique & magnifica cum templorum tum & cœnobiorum ædificia. Inter quæ potiſſimum eminet pulcherrimum illud & auguſtum Cœnobium inſtituti Præmonſtratenſis, vulgo dictum Abbatia Divi Nicolai, & inſti-

tutum primo ab Godebaldo, vigeſimo quarto Ultrajectenſium Præſule, ſed auctum deinde & veluti renovatum ab glorioſæ memoriæ Principe Guilielmo, Romanorum Rege, & eodem Hollandiæ Selandiæque Comite, anno, ut habent annales cIↃ CC L V I. qui Princeps, una cum conjuge Iſabella regina, regio inibi tumulo conditus. Habet iſtud Cœnobium, inter alia quędam ornamenta, pulcherrimam bibliothecam. ſed quod caput eſt, & familiam ducit, luculento in primis & opiparo gaudet cenſu. & Cœnobiarchæ ſive Abbati ea eſt & auctoritas ſimul & præeminentia, ut in publicis Ordinum Comitatus Selandiæ cõventibus, ipſe ſolus, totius eccleſiaſtici ordinis nomine, ferat ſuffragium. Evectus eſt nuper, petente Philippo rege, hic locus & cum eo civitas Middelburgenſis

genſis ad dignitatem Epiſcopalem, electo ad tantum faſtigium, & in Nicolai de Caſtro locum ſuffecto, Joanne Striano, docto & reverendo Antiſtite. qui, cum munus hoc, civiles Belgarum motus, Middelburgi obire non poſſet, dum conſileſcunt turbæ atque iræ leniunt, Lovanii honeſtiſſime vitam exigit. Gaudet inſuper Middelburgum *ſtapula*, ſive emporio vini, è Gallia, Luſitania, Hiſpania, aliiſque Provinciis via maritima in has partes importari ſoliti; cunque navigationibus maxime & negotiatione marina, tum & aliis quoque varii generis mercimoniis floret: eſtque non hujus duntaxat Inſulæ, ſed & Comitatus Selandiæ caput. ita potens quidem & dives, ut ante aliquot annos à Domino Arnemudano emerit momentoſum illum opidulum Arnemudam, ubi (ut in-

tra dicturus ſum) capaciſſima eſt & tutiſſima navium ſtatio.

Additamentum. *Middelburgum* nonnulli *Metelloburgum* appellant, à Metello videlicet, conſulari apud Romanos viro. ſed videtur hæc originatio longe nimis petita. conditum etiam volunt à neſcio quo Mattione, & Selandos ab eo dictos fuiſſe Mattiacos. nos hæc talia, ut incerta nimis atque ambigua, in medio relinquimus: dicimuſque hanc urbem, etſi opibus nunc & potentia ſplēdeat inter Belgicæ primas, exiguis tamen & vix notis initiis ortam; atque adeo anno à Chriſto nato M C XXI, quo tempore Godebaldus Epiſcopus Trajectenſis pulſo, ob flagitioſam vitam & laudabilem parum œconomiam, Canonicorum regularium cœtui ſurrogavit Præmonſtratenſis Ordinis monachos, nihil fuiſſe quam pagum:

&

& præcipua quæque privilegia impetraſſe ab Comite Hollandię Romanorum Rege Guilielmo, qui voluerit inter cætera juſſeritque ne alibi uſquam in tota Occidentali Selandia ſuprema quam vocant juſtitia redderetur, utque de capitali omni delicto, ruri & extra urbis pomœrium perpetrato, Middelburgi ſolummodo poſſet cognoſci. quo in carcerem etiam rei adducerentur, &ad cauſę uſque deciſionem adſervarentur. Inter publica urbis ædificia eminet hodieque Cœnobium, deſtinatum nunc comitiis Præpotentium Dominorum Selandiæ Ordinum, & ſollenni quorundam ex iis ſedi: Cameræ item rationum, collegio Senatorum rei maritimæ, officinæ denique monetariæ, & ſimilibus uſibus. Spectabilis quoque eſt Curia, ſive Senatorum domus, ſtatuis & emblematis varie

ornata: item faſtigium illud ſummæ urbis turri impoſitum, horologio longe pulcherrimo exornatum. quod opus ſtetiſſe dicitur Reipublicæ centum & quinquaginta millibus florenorum. Natus fuit in hac civitate Paulus à Middelburgo, vir mathematicis ſtudiis clarus; & hoc nomine Romam vocatus: ubi factus Brevi Epiſcopus, inter alia quædam de Paſchatis quoque celebratione ſcripſit. Natus item è viculo urbi vicino, ideoque de Middelburgo dictus, Nicolaus Everardi, vir cum aliis ſtudiis, tum juriſprudentia maxime perilluſtris, & idem inſignis politicus. quare ob conſiliorum felicitatem adhibitus ſemper à Principe ad res magnas, & creatus tandem non ſolum Hollandiæ, ſed & Magni Senatus Mechliniani Præſes. in qua urbe deceſſit anno à Virginis

partu

partu 1532, relictis compluribus liberis, qui & variis dignitatum titulis nobiles, & digni omnino tanto parente filii. maximo natu, Petro nomen erat, Theologiæ & Jurius Utriuſque Doctori, Antiſtiti ordinis Præmonſtratenſis. alteri Nicolao Everardi, itidem Juriſconſulto, & primo quidem Conſilii Friſiæ, mox Mechliniæ Præſidi, ubi & vita defunctus eſt hoc ipſo anno quo ſcribimus 1560. tertio nomen eſt Nicolao Nicolaio Grudio, pariter Juriſconſulto, ſed eidem & aliis ſtudiis claro, & præſertim hiſtorico ac poëtæ dulciſſimo. unde & maximos ſemper honores geſſit, & hodieque eſt Conſiliarius Regius, Ordiniſque aurei velleris Graphiarius. quartus dicitur Adrianus Nicolai Marius, itidem Juriſconſultus, & virtutibus ornatiſſimus vir, qui & ipſe jam functus eſt variis

dignitatibus, & hoc tempore Cancellarius Geldriæ. quintus denique fuit Joannes Secundus (ſolent enim & eruditi iſti trans Alpes, non ſecus quam olim Romani, varia ſæpe ex variis cauſſis cognomina ſibi adſciſcere): qui magnæ jam famæ & expectationis adoleſcens in ipſo ævi flore extinctus eſt doctus ſane & elegantiſſimus vates, ut ex poëmatibus hodieque extantibus conſtat. Et videtur profecto ſingulare quoddam fuiſſe omnium fratrum iſtorum donum, ut inter alias ſuas dotes, in poëſi præſertim excellerent.

MIDDELBURGUM.

Vos ego Mattiacos mediis admiror in undis
Florentes opibus, relligione, fide.
Nam quid ego armorum ſtudium, quid nautica dicam
Prælia? quid forti parta trophæa manu?
Immenſas quid opes atq; auri pōdera iactē?
Quid pretia & gazas, decolor Inde, tuas?
Sed

Sed neque ſalvifici deſunt hic dogmata verbi:
Exſulat hinc omnis vana ſuperſtitio.
Queis igitur terræ ac cœleſtia dona ſuperſunt,
Aut hic, aut populus nemo beatus erit.

G. Ens.

VERIA.

VERIA, quæ & *Camp-veria* potius dicitur, alterum eſt inter opida huius Inſulę muro & mœnibus clauſa. ſitu quidem ad Aquilonem obverſa, & in ipſo Oceani littore. foſſam habet, quę Middelburgũ uſque extenditur, à qua urbe leucæ tantum unius intervallo, Fliſſinga vero altero tanto abjungitur. muris cingi incepit anno cIↄ ccc LVIII. eſtque opidulum ſatis concinnum, & mercimoniis florens. maxime propter commercia navium Scoticarum, quæ in iſto potiſſimum portu ſtabulantur, unde ob varias ſuas dotes,

Mar-

Marchionatus dignitate ſe jactat, cujus Marchia, ex antiquo quodam ſtatuto, ea gaudet prærogativa, ut ſolus, ac ſine ullo competitore, in conventibus Ordinum terræ, ſuffragium ferat pro Selandica omni nobilitate. Eſt in opido iſto armamentarium, amplitudine ſimul & forma ſpectabile, in quo adſervantur tum machinæ bellicæ, tum & reliquus omnis Regis ad expeditiones maritimas apparatus. Erat & Veria nuper in ditione jamdicti Archithalaſſi: nunc ex cauſſis ſupra narratis Marchionem agnoſcit Maximilianum Cruningium, ejus nepotem.

Additamentum. [*Veria* nomen eſt à trajectu, qui Teutonice dicitur *Veer.* quia nempe olim iſthinc trajicerent Campam, pagum Nordbevelandiæ, nunc ſubmerſum, unde & Campo-Veriæ nomen eſt. Incolæ piſcatio-

cationibus maxime, & halecum capturis invigilant. nonnulli & in exteras regiones negotiantur. Dynaſtarum prætorium extra urbem olim, & teli jactu è porta, ſed dirutum per hæc bella & ſolo æquatum. emit Marchionatum utrumque, Verianum nimirum & Fliſſinganum, pretio centum & quadraginta ſex millium florenorum Illuſtriſſimus Princeps Auriacus, qui inauguratus ſub annum Chriſti 1581.]

FLISSINGA.

FLISSINGA, tertium eſt in Walachria opidum, Africo fere obverſa, & in Flandriæ terræ conſpectu: Middelburgo autem leucæ unius itinere diſſita. neque aliud fuit anno, ut habent annales, clↄ cccc, quam meatus quidam, ſeu trajectus in Flandriam. exinde vero paullatim auxit. & quid amplius? annis ab hinc

hinc quadraginta, muris & portis clauſa eſt: faciente Illuſtri Heroë Adolpho Burgundo jam ſæpius nominato. ſic ut hodie dici queat communis quidam totius orbis terrarum tranſitus. eſt enim & opportuno adeo ſitu, & tam eximio portu ſpectanda, ut quotquot fere ab Oriente, Occaſu, Auſtro denique ultro citroque commeant naves, ea perpetuo tranſeant. tranſitus quidem adeo momentoſus, ut quis merito clavem dicat Oceani Belgici. quare & Carolus Quintus Imperator, inter cauta quædam & intima ſua dogmata, ſuaſit Philippo Regi, ut quam diligentiſſime tueretur hunc locum.

Additamentum. [Fliſſinga initio fuit in ditione Comitum Selandiæ. fitque mentio eius ad annum M CC XXVII, ſub Florentio tertio. ſed donatum deinde jure & privilegiis opidanis teneue-

tenuere ſub annum MCCCCLXX Illuſtres Borſali. qua gente in meliori ſexu extincta, paruit aliquandiu Burgundis. à quibus tandem jure & titulo emptionis delata eſt, una cum Marchionatu Veriano, ad immortalis memoriæ Principem Gulielmum Naſſovium. Floret hodie navigatione & mercimoniis inter Belgicæ primas. Inter opera publica ſpectabilis maxime Curia nuper extructa, tota è ſecto per artem lapide, & cui Selandia quidem non habet parem. Eſt præterea aula illa, ſeu regia Illuſtriſſimi Principis, pulchrum hercle & elegans opus.]

VLISSINGA.

Sive Laërtiada nomen de nomine traxti,
Seu genuina tuæ vocis origo latet:
Quum tua facta puto, juſtaque examine lance,
Atque ad Ulyſſea compare geſta manus:

Vix

Vix alium quemquam poſſim dare conditor urbem
Qui talem, & tantum ſtruxerit auctor opus.
Nã velut ille Ithaca deſerta, tempore longo
Lativagi erravit per vada ſalſa maris,
Innumeroſque locos adijt, portentaque vidit
Plurima, apud multos vix habitura fidẽ:
Sic, Vliſinga, tui cives per cuncta vagantes
Æquora, venantur Salſipotentis opes:
Speq; lucri dulcis credunt ſe fluctibus, æqua
Exilii longas menteferuntque moras.
Ac velut ille manu promptus, ſed promptius aſtu
Ad cœlum facti is extulit Argolicos:
Sic ſibi Mattiaci innumeros peperere triumphos
Dum forti tractant pro patria arma manu.
Quod ſi Dulichij tamen omnia mente reſolvas
Facta ſenis, mentis robur & eloquium:
Fallor? an, Illa vetus, dices, eſt fabula vatũ
Aſt hæc viderunt tempora noſtra geri.
Tũ Vliſinganis minor eſt Argivus Vlyſſes
Fabula quam longe diſtat ab Hiſtoria.

GASPAR ENS

I

De opidulis WALACHRIÆ *muro carentibus, & municipijs.*

DEflectentibus inde ad Occaſum Caurumque, & Oceani littora Veriam verſus legentibus, occurrunt ſub arenariis Inſulæ collibus opidula quædam muris carentia, tum & pagi perplures, & item cœnobia, & in opidis quidem numerantur potiſſimum *Soutlandia* & *VVeſtcapella.* Quod poſterius hodieque habet jus civitatis: etſi opidum ei cognomine jam à centum viginti annis retro mari ſubmerſum ſit: opidum, uti narrant, egregium, & portu totius Walachriæ præſtantiſſimo quondam conſpicuum. Sequitur inde *Domburgum*, & juxta prætorium illud Cœnobiarchæ Middelburgenſis, quod *VVeſthoviam* nuncupant, amœniſſimus ſane Præ-

Propter
terram n
credamu
hauſtum.
dum, ſing
ab origine
ſterum per
niſi nimia
dicate, &
modis,
naturam
obruamus
mus hæc
te primo
de

tiis, Hiſpania nempe, Luſitania, Gallia, Angliaque redeuntes tricenarum, quadragenarum, quinquagenarum, imo & centenarum nonnumquam, ac ducenarum navium claſſes. ut omittam jam eas, quæ vel ſolitariæ prorſus, vel exiguo ſaltem comitatu aſſociatæ, perpetuo fere ultro citroque commeant, & innumera varii generis merce onuſtæ Antverpiam maxime, ubi mercatorum pleriſque & navium merciumque dominorum ſollennis ſedes eſt, ad mercatum contendunt. uti fuſe ſatis & examuſſim in urbe illa deſcribenda fuit à nobis expoſitum. Unde coadunatas nonnumquam in hoc portu conſpicias ad quadringentas quingentasve onerarias naves, nec ceſſari umquam à novis ſubinde omne genus navigiis conſtruendis. Sita eſt Arnemuda mirabili prorſus & excellenti op-

ornata. item faſtigium illud ſummæ urbis turri impoſitum, horologio longe pulcherrimo exornatum. quod opus ſtetiſſe dicitur Reipublicæ centum & quinquaginta millibus florenorum. Natus fuit in hac civitate Paulus à Middelburgo, vir mathematicis ſtudiis clarus; & hoc nomine Romam vocatus: ubi factus brevi Epiſcopus, inter alia quædam de Paſchatis quoque celebratione ſcripſit. Natus item è viculo urbi vicino, ideoque de Middelburgo dictus, Nicolaus Everardi, vir cum aliis ſtudiis, tum juriſprudentia maxime perilluſtris, & idem inſignis politicus. quare ob conſiliorum felicitatem adhibitus ſemper à Principe ad res magnas, & creatus tandem non ſolum Hollandiæ, ſed & Magni Senatus Mechliniani Præſes. in qua urbe deceſſit anno à Virginis

partu

partu 1532., relictis compluribus liberis, qui & variis dignitatum titulis nobiles, & digni omnino tanto parente filii. maximo natu, Petro nomen erat; Theologiæ & Jurius Utriuſque Doctori, Antiſtiti ordinis Præmonſtratenſis. alteri Nicolao Everardi, itidem Juriſconſulto, & primo quidem Conſilii Friſiæ, mox Mechliniæ Præſidi, ubi & vita defunctus eſt hoc ipſo anno quo ſcribimus, 1560. tertio nomen eſt Nicolao Nicolaio Grudio, pariter Juriſconſulto, ſed eidem & aliis ſtudiis claro, & præſertim hiſtorico ac poëtæ dulciſſimo. unde & maximos ſemper honores geſſit, & hodieque eſt Conſiliarius Regius, Ordiniſque aurei velleris Graphiarius. quartus dicitur Adrianus Nicolai Marius, itidem Juriſconſultus, & virtutibus ornatiſſimus vir, qui & ipſe jam functus eſt variis

 digni-

dignitatibus, & hoc tempore Cancellarius Geldriæ. quintus denique fuit Joannes Secundus (ſolent enim & eruditi iſti trans Alpes, non ſecus quam olim Romani, varia ſæpe ex variis cauſſis cognomina ſibi adſciſcere) qui magnæ jam famæ & expectationis adoleſcens in ipſo ævi flore extinctus eſt doctus ſane & elegantiſſimus vates, ut ex poëmatibus hodieque extantibus conſtat. Et videtur profecto ſingulare quoddam fuiſſe omnium fratrum iſtorum donum, ut inter alias ſuas dotes, in poëſi præſertim excellerent.

MIDDELBURGUM.

Vos ego Mattiacos mediis admiror in undis
Florentes opibus, relligione, fide.
Nam quid ego armorum ſtudium, quid nautica dicam
Prælia? quid forti pacta trophæa manu?
Immenſas quid opes atq; auri pōdera iactē?
Quid pretia & gazas, decolor Inde, tuas?
Sed

Sed neque ſalvifici deſunt hic dogmata verbi:
Exſulat hinc omnis vana ſuperſtitio.
Queis igitur terræ ac cœleſtia dona ſuperſunt,
Aut hic, aut populus nemo beatus erit.

G. ENS.

VERIA.

VERIA, quæ & *Camp-veria* potius dicitur, alterum eſt inter opida huius Inſulę muro & mœnibus clauſa. ſitu quidem ad Aquilonem obverſa, & in ipſo Oceani littore. foſſam habet, quę Middelburgũ uſque extenditur, à qua urbe leucæ tantum unius intervallo, Fliſſinga vero altero tanto abjungitur. muris cingi incepit anno cIↃ CCC LVIII. eſtque opidulum ſatis concinnum, & mercimoniis florens. maxime propter commercia navium Scoticarum, quæ in iſto potiſſimum portu ſtabulantur, unde ob varias ſuas dotes,

Mar-

Marchionatus dignitate ſe jactat, cujus Marchia, ex antiquo quodam ſtatuto, ea gaudet prærogativa, ut ſolus, ac ſine ullo competitore, in conventibus Ordinum terræ, ſuffragium ferat pro Selandica omni nobilitate. Eſt in opido iſto armamentarium, amplitudine ſimul & forma ſpectabile, in quo adſervantur tum machinæ bellicæ, tum & reliquus omnis Regis ad expeditiones maritimas apparatus. Erat & Veria nuper in ditione jamdicti Archithalaſſi. nunc ex cauſſis ſupra narratis Marchionem agnoſcit Maximilianum Cruningium, ejus nepotem.

Additamentum. [*Veriæ* nomen eſt à trajectu, qui Teutonice dicitur *Veer.* quia nempe olim iſthinc trajicerent Campam, pagum Nordbevelandiæ, nunc ſubmerſum, unde & Campo-Veriæ nomen eſt. Incolæ piſcatio-

cationibus maxime, & halecum capturis invigilant. nonnulli & in exteras regiones negotiantur. Dynaſtarum prætorium extra urbem olim, & teli jactu è porta, ſed dirutum per hæc bella & ſolo æquatum. emit Marchionatum utrumque, Verianum nimirum & Fliſſinganum, pretio centum & quadraginta ſex millium florenorum Illuſtriſſimus Princeps Auriacus, qui inauguratus ſub annum Chriſti 1581.]

FLISSINGA.

FLISSINGA, tertium eſt in Walachria opidum, Africo fere obverſa, & in Flandriæ terræ conſpectu: Middelburgo autem leucæ unius itinere diſſita. neque aliud fuit anno, ut habent annales, cIↃ cccc, quam meatus quidam, ſeu trajectus in Flandriam. exinde vero paullatim auxit. & quid amplius? annis ab

hinc

hinc quadraginta, muris & portis clauſa eſt: faciente Illuſtri Heroë Adolpho Burgundo jam ſæpius nominato. ſic ut hodie dici queat communis quidam totius orbis terrarum tranſitus. eſt enim & opportuno adeo ſitu, & tam eximio portu ſpectanda, ut quotquot fere ab Oriente, Occaſu, Auſtro denique ultro citroque commeant naves, ea perpetuo tranſeant. tranſitus quidem adeo momentoſus, ut quis merito clavem dicat Oceani Belgici. quare & Carolus Quintus Imperator, inter cauta quædam & intima ſua dogmata, ſuaſit Philippo Regi, ut quam diligentiſſime tueretur hunc locum.

Additamentum. [Fliſſinga initio fuit in ditione Comitum Selandiæ. fitque mentio eius ad annum M CC XXVII, ſub Florentio tertio. ſed donatum deinde jure & privilegiis opidanis tenue-

tenuere ſub annum MCCCCLXX Illuſtres Borſali. qua gente in meliori ſexu extincta, paruit aliquandiu Burgundis. à quibus tandem jure & titulo emptionis delata eſt, una cum Marchionatu Veriano, ad immortalis memoriæ Principem Guilielmum Naſſovium. Floret hodie navigatione & mercimoniis inter Belgicæ primas. Inter opera publica ſpectabilis maxime Curia nuper extructa, tota è ſecto per artem lapide, & cui Selandia quidem non habet parem. Eſt præterea aula illa, ſeu regia Illuſtriſſimi Principis, pulchrum hercle & elegans opus.]

VLISSINGA.

SIve Laërtiada nomen de nomine traxti,
Seu genuina tuæ vocis origo latet:
Quum tua facta puto, iuſtaque examine lance,
Atque ad Vlyſſea comparo geſta manus:

Vix

Vix alium quemquam poſſim dare co
urbem
Qui talem, & tantum ſtruxerit a
opus,
Nā velut ille Ithaca deſerta, tempore
Lativagi erravit per vada ſalſa m
Innumeroſque locos adyt: portentaque
Plurima, apud multos vix habitura
Sic, Vliſinga, tui cives per cuncta vag
Æquora, venantur Salſipotentis o
Speq; lucri dulcis credunt ſe fluctibus,
Exilii longas mente feruntque mor
Ac velut ille manu promptus, ſed
ptius aſtu
Ad cælum factis extulit Argolico
Sic ſibi Mattiaci innumeros peperere t
phos
Dum forti tractant pro patria
manu.
Quod ſi Dulichij tamen omnia mente
vas
Facta ſenis, mentis robur & eloqui
Fallor? an, Illa vetus, dices, eſt fabula
Aſt hac viderunt tempora noſtra ;
Tū Vliſinganis minor eſt Argivus V
Fabula quam longe diſtat ab Hiſto

GASPAR

De opidulis WALACHRIÆ *muro carentibus, & municipijs.*

DEflectentibus inde ad Occaſum Caurumque, & Oceani littora Veriam verſus legentibus, occurrunt ſub arenariis Inſulæ collibus opidula quædam muris carentia, tum & pagi perplures, & item cœnobia, & in opidis quidem numerantur potiſſimum *Soutlandia* & *VVeſtcapella*. Quod poſterius hodieque habet jus civitatis: etſi opidum ei cognomine jam à centum viginti annis retro mari ſubmerſum ſit: opidum, uti narrant, egregium, & portu totius Walachriæ præſtantiſſimo quondam conſpicuum. Sequitur inde *Domburgum*, & juxta prætorium illud Cœnobiarchæ Middelburgenſis, quod *VVeſthoviam* nuncupant, amœniſſimus ſane Præ-

ſulis eius ſeceſſus. Inter Fliſſingam vero & Arnemudā eſt promontorium illud, quod vulgo *Rammekens* dicunt, & Vulturno jacet obverſum. ubi nuper, Carolus Quintus Imperator, firmando ab ea parte ac defendendo oſtio fluminis, condidit arcem Zeburgum.

ARNEMUDA.

ARNEMUDAM Itali & Hiſpani *Ramua*, Belgę *Armuyden* vulgariter nuncupant. eſt autem opidorum Walachriæ noſtræ poſtremum, ac perexiguum quidem illud, & murorum expers, ſed quod portum habeat tota Europa celebratiſſimum. idque ob navium undique adpellentium, & in varias rurſus terrarum plagas diſcedentium prope innumeram multitudinē, ita ut ſæpenumero exeuntes hinc videas, & ſingulis hiſce Provinciis,

ciis, Hiſpania nempe, Luſitania, Gallia, Angliaque redeuntes tricenarum, quadragenarum, quinquagenarum, imo & centenarum nonnumquam, ac ducenarum navium claſſes. ut omittam jam eas, quæ vel ſolitariæ prorſus, vel exiguo ſaltem comitatu aſſociatæ, perpetuo fere ultro citroque commeant, & innumera varii generis merce onuſtæ Antverpiam maxime, ubi mercatorum pleriſque & navium merciumque dominorum ſollennis ſedes eſt, ad mercatum contendunt. uti fuſe ſatis & examuſſim in urbe illa deſcribenda fuit à nobis expoſitum. Unde coadunatas nonnumquam in hoc portu conſpicias ad quadringentas quingentasve onerarias naves, nec ceſſari umquam à novis ſubinde omne genus navigiis conſtruendis. Sita eſt Arnemuda mirabili prorſus & excellenti op-

portunitate ad ipſum Oceani littus. ſed videamus quæſo paullisper quænam ſit eius à præcipuis quibuſque & famoſiſſimis ſimul Europæ totius portubus pæne exacta diſtantia. nam cum frequentiſſima inter ipſam illoſque intercedant commercia, non debet ſane exacta rei illius notitia cuiquam videri ſuperflua, quæ non una de cauſſa, maxime vero propter ſecuritates quas vocant, & periculorum receptiones, Antverpiæ inter mercatores fieri ſolitas, multifariam utilis. eo magis, quod ipſi etiam nautæ, licet aſſidue fere frequentent has vias, magnopere tamen alius ſæpe ab alio diſcrepent. Numerantur itaque Arnemuda Amſterodamum uſque leucæ vigintiquinque, (nos in toto hoc opere; quotieſcunque ſermo eſt de maritima quorumcumque locorum diſtantia, loquimur ex ſententia

tentia præſtantiſſimi fere cuiuſque Coſmographi; & peritiſſimi item naucleri,) ita ut denis ſeptenis leucis marinis & ſemi, id eſt, ſingulis gradibus ſeptuagena milliaria Italica, vel ſi mavis vicenæ & ternæ leucæ Flandricæ cum triente reſpondeant. Arnemuda deinde Bremam numerantur leucæ nonaginta & tres. Hamburgum, centum & quinque. Zondam, Daniæ fretū, centum & octoginta. Dantiſcum, ducentæ quinquaginta quatuor. Rigam, trecentæ. Rivaliam, trecentæ triginta quinque. Nervam, trecentæ & ſexaginta quinque. Parte alia computantur ab Arnemuda, uſque ad Picardiæ Calitium, leucæ viginti & tres. Londinum, duæ & quadraginta. Antonam, ſexaginta & duæ. Diepam, quinquaginta & quatuor. Rhotomagum, quinque & ſeptuaginta. Breſtū, cen-

centum viginti quinque. Rupellam, centum & nonaginta quatuor. Burdegalam, undecim ſupra ducentas. Bilbaum, ducentæ viginti ſex. Promontorium finis terræ, ducentæ ſeptuaginta. Olyſſipponem, trecentæ & octoginta. Gades, quadringentę & octoginta. Hiſpalim, ipſæ quingentæ. Malacitam vero quingentæ & quadraginta. Maderam, maris Atlantici inſulam, quadringentæ & octoginta. Canarias, olim Fortunatas dictas, quingentæ viginti. Liburnum denique ſivę Livornum, Etruriæ portum, ſeptingentæ & octoginta. Arnemuda in quoſcumque terrarum tractus ſoluturis opus eſt aquilone ſeptemtrioneve: ſed nec Eurus iis incommodus. quia vero ſuperandú omnino eſt promontorium Zeburgenſe, quod non alio vento, quam aquilone ſuperatur, ſolent plerumque naves ſecun-

ſecundo æſtu eo primum defluere, atque inde porro, flante quo indigent vento, velificationem auſpicari. contra vero, ut portum iſtum feliciter ſubeant, contrarios, uti notum eſt, ventos exoptant.

Additamentum. [Fuit Arnemuda uſque ad annum 1572, municipium Reipublicæ Middelburgenſis, & iiſdem cum ea gaviſa eſt privilegiis. ſed obſeſſo à Principe Arauſino Middelburgo, quia varie vexabatur à militaribus eius copiis, nec diutius erat reſiſtendo, maluit ſeſe victori ſubiicere, quam extremã belli calamitatem experiri. quod indigne ferentes Hiſpanici, locum impetu oppreſſerunt, & incolas quidem alios trucidarunt, alios vero fortunis exutos, coëgerunt lares ſuos deſerere. Middelburgo deinde capto, Princeps, quo magis animarentur cives ad col-

lapſum opidulum inſtaurãdum, ex pacto cum Middelburgenſibus inito, Arnemudam omni ipſorum imperio liberavit, & ſui in poſterum juris eſſe voluit: variis inſuper privilegiis & immunitatibus eam exornans, tum vallis undique, propugnaculis, foſſis, & portis communiens: ita ut Arnemuda exinde habita fuerit, habeaturque pro civitate. etſi veterem illum ſplendorem, cuius obiter meminit Guicciardinus, ob pulvinos quos vocant, & arenas maris, reciproco fluctuum meatu denſatas, ac ſoli inſtar duratas, pæne totum amiſerit, & importuoſa jam prorſus, vixque vectoriis navibus adeunda, in miſerandam plane conditionem redacta ſit, ac tantum non deſerta.]

Habet deinde Walachria Inſula & compluſculos pagos, inter quos nominatim *Zuidburgũ*,

medio fere inter Fliſſingam & Middelburgum itinere, locum certe amœnum, & palatio quodam peramplo inſignem. ubi anno 1556. in Hiſpaniam abiturum, nec rediturum amplius Carolum quintnm, venti aliquamdudum morati ſunt.

De ZUIDBEVELANDIA *Inſula, eiuſque opidis* BORSALA, ROMERSWALIA, *&* GOESA: *Itemque de pagis celebrioribus.*

SEquitur in Occidua parte ZUIDBEVELANDIA. Inſula Belgis ſic dicta, quod priuſquam aggeribus cingeretur, quaſi fundo non ſatis ſolidato, ſub pedibus tremeret. eſt autem hæc Inſula Selandicarum omnium longe ampliſſima, ut quæ aliquando viginti ipſas leucas ambitu ſuo incluſerit, hodie, propter ſævas Oceani tempeſtates & horrenda

ſubinde diluvia, tum perpetuum illum Scaldis, Bergozomium inter & Romerſwaliam, violentiſſimo ſuo curſu jugiter eam atterentis æſtum, toto fere ſemiſſe contractior.

Claruit olim tribus haud ignobilibus opidis: quorum primarium quidem BORSALA dicebatur, ad auſtralem Inſulæ plagam extructa; ſed miſere tandem (ecce qualibus quamque horrendis periculis homines ſeſe exponant!) anno 1532, una cum territorio omni circumjecto, quod Dominium Borſalanum audiebat, mari abſorpta.

ROMERSWALIA ergo inpræſentiarum quidem Zuidbevelandiæ caput eſt; & ab ortu adſpicit Bergozomium, unde leucæ dumtaxat intervallo abjungitur: ſed diluvies eadem inundatioque ab Inſula omni avulſam ſeorſim in Inſulæ formam redegit.

redegit. unde continua illi cùm Oceano ſimul & Scaldi pugna: quam non ſine ingenti labore, impenſa, diſcrimine, atque pæne dicam miraculo, hactenus ſuſtinet. ut quam elegantiſſime nuper Philippo Regi, dando accipiendoque fidelitatis ſacramento iſtuc delato, ſcitiſſimis hiſce verſiculis oſtio domus ſuæ inſcriptis, oſtendit perdoctus ille Nicolaus Cromflietius, opidi civis:

Vidimus aſſueto privatum lumine ſolem,
Pallida turbato vidimus aſtra die.
Vidimus undanteis horrendos æquoris æſtus.
Nos miſeros Belgas cùm obruit Oceanus.
Vidimus at poſtquam te, gloria noſtra Philippe,
Cæſarea proles, ſemideumque decus:

Cuncta

Cuncta refutamus tranſacti tempora ſacli,
Quod præſens noſtrum teſtificatur opus.
Sit licet exiguum, ſit pro ratione voluntas.
Nil facit ad vaſtum parva carina fretum.

In hoc igitur opido, cui diſerte id privilegii, ſuſceptus eſt Princeps Philippus anno Christi 1549, ab Ordinibus terræ Selandiæ, una inibi congregatis, in futurum Provinciæ Comitem.

GOESA.

GOESA, quam vernacule vocant *Ter Goes*, ſola è tribus opidis manſit intacta, & ad aquilonarem inſulæ partem, ac brachium illud Scaldis, cui Schengæ nomen eſt, poſita opidulum ſatis lautum, & luculentis admodum privilegiis exornatũ. Goeſæ natus eſt Joachimus Polites, ampliſ-

ampliſſimæ Antverpienſium Reipublicæ Graphiarius, eruditus inprimis vir, & poëta inſignis, qui inter alias aliquot elegantias, pulcherrimam inſtructiſſimamque habet bibliothecam. Eſt item hæc patria Cornelii Baerſdorpii, Doctoris Medici & Philoſophi longe graviſſimi, Archiatri & inter intimos familiares Caroli Quinti Imperatoris. Juxta Goeſam eſt pagus *Barlandia*. unde natus doctiſſimus ille Ælius Adrianus Barlandus, qui cum alia quædam opuſcula, tum accurate inprimis cōſcripſit terræ Brabantiæ chronicon. Habet inde hæc inſula multos inſignes pagos & toparchias, & præſertim amœnam illam & amplam *Elſsdicam*, quæ maiori ex parte toparcham agnoſcit Petrum Lutianū Florentinum. quod oſtendit nullum fere locum carere hominibus noſtræ gentis. Habet deni-

denique amœniſſimas aliquot ſilvulas, & in iis non tantum feras, ſed innumera quoque avium utiliſſimarum genera.

De NORTBEVELANDIA *inſula, & opido* CORTGENA.

TErtia inſularum Occidentalium NORTBEVELANDIA dicitur. Inſula olim tam fœcunda, tamque omni ex parte amœna, ut jactaretur pro Selandiæ terræ deliciis. ſed diluvies illa anni 1532, prorſus illam abſorpſit. opidum habuit ſatis celebre, cui nomen *Cortchena*, Campo-Veriæ fere oppoſitum. quod ipſum quoque ſic fluctibus obrutum, ut præter turrim è ſummis aquis extantem, nihil inde relictum ſit. extant autem in iſtis & finitimis aliquot locis etiam aliæ quædam pagorum miſere ſubmerſorum turres, navigantibus

ſatis

ſatis clara miſerandaque calamitatis ſuæ indicia. Sed vindicat ſe noſtro ævo hæc tellus, & aſſidua maris alluvione ſenſim attollitur. ita ut ſpes ſit fore, ut cis paucos annos maiori ex parte recuperetur, & aggeribus rurſus obſepiatur.

Additamentum. [Educta ſunt ante annos circiter quindecim & aggeribus cincta duo huius inſulæ territoria, totidem hodie pagis inſeſſa. quorum alteri nomen eſt *Colinſtplata*, alteri *Catzio*. Sicuti vindicata quoque civium Zirizæorum maxime opera ſumptibuſque eſt Oreſanda, inſula inter Scaldiam & Nordbevelandiam media, nec aggeribus antea umquam ſepta.]

Terra

Terra ab undis vindicandæ, & aggeribus obſepiendæ ratio.

ET inſularum quidem aliarumque id genus terrarum vel Oceani impetu ſubmerſarum recuperandi, vel novarum etiam adquirendi ratio in genere fere eſt talis. Opperiuntur iſti opportunum maxime anni tempus, id eſt ipſam æſtatem,

Cum venti poſuere, omnisque repente reſedit
Flatus,

Inde vero recedente, ut ſolet, in ſenas vel circiter horas, & plurimum ſubmittente ſe æſtu marino, ingens hominum numerus aggerem ea parte qua ruptus eſt inſtaurare aggreditur. quod ſi nullus forte ſit agger, ut in terris nunquam ante ex mari eductis, tunc idoneum maxime diligunt terræ illius locum, &

nova

nova jaciunt aggeris fundamenta. atque hoc modo vel reſtringitur pedetentim & coarctatur vorago, vel educitur agger ille novus ad juſtam aliquam altitudinem. eo vero cum per canales quoſdam, & vorticum data opera relictorum foſſas tandem deventum eſt, emittuntur dehinc via cataractarum aquæ in agro ſic vindicato reſiduæ. quod ſi minus hac via ſuccedat, adhibentur mox molæ aquaticæ, aliæq; id genus machinæ in hunc uſum comparatæ, quibus reliqua omnis aqua in ſolidum exhauritur. Atque ita cum tempore ſimul & improbo quodam labore, impenſa, induſtria, niſi conatum abrumpat inſana ventorum rabies, tota res ad optatum tandem & deſideratum finem perducitur. ſed ventorum, ut innui, vehementia & valido nimis adverſoque flatu interdum con-

tingit, ut & operam omnem & oleum perdas. quin & accidit aliquando, ut abſoluta jam & ad finem perducta re, ſpirare incipiat impetuoſior aliquis ventus, vel alioqui exoriri inſolens quædam & fœda tempeſtas, quæ vel temporis puncto fluctibus cooperiat quidquid continuis aliquot menſibus, vel & annis nonnumquam, ab undarum injuria vindicaveris. Nec propterea tamen opportunis rurſus temporibus à conatibus iſtiuſmodi ſolent deſiſtere. qui ſi feliciter cedant, ut plerumque ſane contingit, hominem intra paucos annos divitant. ea ſiquidem eſt terrarum ita recuperatarum fœcunditas, ut quidquid iis ingeritur, ad miraculum fere multiplicetur.

De

De WOLFERSDICA *inſula.*

QUarta ultimaque prædictarum Inſularum Occidentalium dicitur WOLFERSDICA. eſtque cæteris longe anguſtior, & duobus dumtaxat pagis, tum & paſcuis ſatis uberibus memoranda.

De Republica & Magiſtratibus.

SUnt in inſulis iſtis Selandicis duo Miniſtri, ſeu Magiſtratus Regii, Belgice *Rent-meeſters*, Latine Quæſtores ærarii dicti: quorum utrique magna eſt in provinciam ſuam auctoritas, magna juriſdictio. & alteri quidem, Occidentalis ac præcipuæ terræ partis Quæſtori, ſedes eſt Middelburgi: alteri, partis Orientalis, Zirizææ. Sunt autem veluti quidam Vicarii Principis, quatenus terræ Selandiæ Comi-

 tis,

tis, in collatione feudorum, aliiſque id genus majoris momenti negotiis. audiunt Conſiliarii Regis, cujus & reditus omnes conquirunt, acceptique & expenſi rationem reddunt. deferuntur ad eos edicta & placita omnia Principis, quæ ipſi publicanda deinde & obſervanda procurant. habent denique poteſtatem prehendendi & conjiciendi in carcerem facinoroſos quoſlibet in agris pagiſq; deprehenſos, quos tenentur ſiſtere Magiſtratibus utriuſque metropolis, damnandos ab iis, vel ſi inveniantur inſontes, abſolvendos. Hodie Magiſtratum hunc gerunt, in Orientali quidem Selandia, vir Illuſtris Hieronymus Serooskerquius, eques Auratus, ac loci unde nomen adſumit, toparcha. in occidua vero, filius eius Philibertus, generoſus item & perilluſtris vir.

Præci-

Præcipua Selandorum artes.

INſulani naviculariæ maxime & piſcationibus dediti. hinc ut agriculturam omittam & pecuariam, quam utramque ſatis ſedulo profitentur: purgant præterea & nivium inſtar candefaciunt prope immenſam vim rudioris illius & popularis ſalis ex variis mundi plagis in Selandiam ſuam convecti. purgant autem? quin efficaci quadam & aquæ marinæ & ſuppoſiti ignis facultate (ea ſcilicet eſt ipſorum ars atque induſtria) ipſum ſalem magnopere inſuper augent. ita quidem ut ſingula ſalis Hiſpanici centenaria, in centena & quadragena quina, vel præterpropter: Luſitanici, in centena triceena quina: Gallici denique in centena ut minimum & vicena quina excreſcant. inſignẽ profecto & conſideratu digniſſimam

rem! præſertim cum cæteris omnibus rebus quæ & recoqui ſolēt & repurgari, metallis nempe, & ceris, & quidquid præterea tale eſt, non parum inter purgandum, nec ſine cauſſa quidem, decedat. nam quod ſaccharum quoque videatur inter purgandum accreſcere, id ex hominum magis malitia variis illud & ſæpe parum honeſtis rebus adaugentium, quam ex ipſa rei natura procedit. Sed in ſale, ut diximus, exaugendo nulla plane intervenit fraus, nulla humanā malitia: ſed mera tantum adhiberi conſuevit induſtria, qua ex aquis marinis ſali abunde adfuſis & prope cum eo decoctis, non candorem dumtaxat & vigorem, ſed & incrementum illud eliciunt, etſi mare tamen iis anni temporibus, æſtate videlicet atque autumno, in hiſce quidem Provinciis, quod ſalſuginem attinet, ul-

tra ſena ut plurimum in centena continere non ſoleat. Et hanc quidem purgandi & excoquendi ſalis rationem teſtantur annales apud homines iſtos fuiſſe in uſu jam à quadringentis & amplius annis retro : unde ad ſummam & omnibus numeris abſolutam perfectionem ab iis perducta eſt. Utuntur Selandi in quotidianis colloquiis idiomate Flandrico, ceu vernaculo ipſis, & ut ſic dicam, materno. ſed cum varie paſſim viri peregrinentur, cumque domi etiam crebra iis cum exteris intercedant commercia, ægre virum ullum invenias, imo ne fœminam quidem, quin & Gallice ſimul & Hiſpanice calleat. neque deſunt complures qui ſonent Italice.

Quando Selandi ad Chriſtum converſi.

PErvenerunt ad fidei ſacroſanctæ cognitionem inde uſque à tempore Divi Willebrordi, qui ſolenniter eam, multo ante ſæcula Caroli Magni, id eſt, anno circiter Iↄ c xc: in toto illo Selandiæ, nec non Hollandiæ Friſiæque maritimo tractu annuntiavit.

Prima Selandicarum Inſularum origo, & Dynaſtarum ſeries.

EDuctæ fuerunt hæ inſulæ (ut è ſcriptis quidem & monumentis colligitur) atque à maris iniuria vindicatæ, multo ante Carolum Martellum, Pipini (ut notum eſt) patrem: idque à Danis. qui perpetua fere cum Anglis Franciſque gerentes bella, quo commodius hoſtem utrumque invaderent, & facta præda, tutio-

tutiores haberent receſſus, elegere potiſſimum iſtas ſyrtes (tales enim revera tunc erant) tamquam loca conatibus ſuis opportuna. & primam quidem occupavere Walachriam, quam ex mari eductam, ac paullatim deinde exeultam, magis magiſque frequentare cœperunt & habitare. præſertim vero poſtquam eo delatus eſt famoſiſſimus ille Rollo. qui (narrante Paullo Æmilio) cum in ſomno vidiſſet, elephantia ſe, vel ſi lepra magis dicenda eſt, derepente correptum, ſed ablutum deinde in puro fonte, lue continuo liberatum, moxque in verticem montis cuiuſdam enixum. cum inquam hæc ſomniaſſet, & mane quibuſdam è ſuis referret; Chriſtianus quidam captivus ita ſomnium illud interpretatus eſt: elephantiaſis (inquiens) Domine, denotat religionem illam falſiſſimam Dea-

ſtrorum, qua videlicet tu infectus: aqua vere puriſſimi fontis, ſanctiſſimam aquam baptiſmi: quæ & mundatura te, & mundatum ad montis culmen, id eſt, ſummam aliquam dignitatem eſt perductura. quæ interpretatio cum Rolloni mirifice arriſiſſet, ipſe ex inſulis hiſce, anno circiter Iↄ cccc, regnante in Gallia Carolo Simplici, numeroſo exercitu ſuccinctus, in eam terræ illius partem, quæ tunc Neuſtria dicebatur, contendit: ubi mox præmiatoribus ſuis edixit, ne quis ultra terram auderet depopulari, neve prædas in ea facere: oblatis inſuper, ſive religione id fecerit, ſive ad conſiliandam ſibi auram & gratiam popularē, in templo tunc primum obvio multis & pretioſis donariis, quin ut populos illos eo magis demereret, obſequentioreſque efficeret, matrimonio ſibi junxit unam

è ſi-

è filiabus Berengarii, Comitis Bellovacenſis. unde factum, ut Principi tam modeſto, tamque ut videbatur, religioſo, brevi ſe daret Rhotomagus, dictæ Provinciæ caput. quam urbem tunc ipſe obſederat, neque Carolus Rex, partim ſimplicitate quadã & imperitia rerum, partim fatalibus illis cum Proceribus regni diſcordiis, ſuccurrebat. Rollo motus tam proſpero rerum ſuarum ſucceſſu, Chriſto illico dedit nomen, & baptiſmo tinctus à Francione, Rhotomagenſium Præſule, mutato nomine Robertus dictus eſt, à Roberto, fratre Regis Odonis, initiationis arbitro. Mox fortuna porro utentem virum, & magnos in dies facientem progreſſus, creavit atque inſtituit idem Rex, ex fœdere inter utrumque percuſſo, Ducem Provinciæ Neuſtriæ. quam ipſe in poſterum à Normannis
ſuis

ſuis dici juſſit Normanniam. Dani ſiquidem apud veteres Gallos, Belgarum in eo ſequentes morem, audiebant Normanni, dictione compoſita ex vocibus *Noord,* quæ Septemtrionem, & *man,* quæ virum ex hac lingua ſignificat. Succeſſit defuncto Rolloni in Ducatu Guilielmus filius. cui & inſecutis aliquot ex hac gente principibus tam propitia fuit fortuna, ut non tantum fundaverint ampliaverintque & diutiſſime retinuerint Principatum Normanniæ: ſed & poſteris viam munierint ad ſubdendas imperio ſuo Apuliam, Calabriam, Neapolim, Siciliam. quas omnes Græcis ereptas terras longo annorum ſpatio poſſederunt. Parte alia ſubjecerint imperio ſuo ad annum MLXVII univerſum regnum Angliæ. cum videlicet Dux Guilielmus nothus, adiutus à ſocero ſuo Balduino

duino Pio Comite Flandriæ, magno & memorabili illo prælio ſuperavit Heraldum, eius regni uſurpatorem. unde vulgari Gallorum lingua dictus fuit Guilielmus Conquæſtor. Dedit autem is regno recens quæſito cum novo imperio novam etiam linguam novaſque leges & ſanctiones. quarum pleræque in hunc uſque diem incorrupte apud Britannos obſervantur. qui propterea patrem eum appellant, & imperii ſui conditorem. etſi Anglica tamen lingua, cuius uſu indigenas in judiciis interdixerat, revocata ſit poſtmodum, & in eam, qua hodieque præcellit, dignitatem reſtituta. Tam conſtantem vero fortunam in eo regno expertus eſt, ut hucuſque in poſteris illud obtineat. quin & Scotiam eius ſanguis, etſi per lineam fœmininiam, & ſequiorem quem vocant ſexum, noſtro etiam

iam ſæculo moderatur. Sed ut revertamur ad noſtram Spartam, vindicata (ut ſupra dixi) jam inde ab ævo Rollonis, & magnopere culta, frequentataq; Walachria, ſubactæ quoque paullatim & novis coloniis occupatæ ſunt pleræque ex inſulis circumiectis. Quæ poſt varios caſus & multiplicia rerum diſcrimina, redactæ ſunt tandem vi ac manu armata, etſi variis tamen juris prætextibus obvoluta, in ditionem Comitum Hollandorum. Sed cum anno Chriſti M VII, Imperator Henricus III, Walachriam & vicinas aliquot inſulas donaſſet Balduino Barbato, Comiti per id tempus Flandrorum: diuturna & gravia admodum bella inter Flandros Hollandoſque vario quidem ultro citroque eventu exorta ſunt. nominatim vero internecinum illud prælium anni M CC LIII, quo Florentius, frater

frater Guilielmi Regis, & Cliviæ Princeps Lupus, in Walachriæ fere conſpectu ediderunt horribilem illam ſtragem in exercitu Margaretæ Comitis Flandriæ. quo prælio, juxta quoſdam Scriptores, cecidere quinquagies mille Flandri: totidem aquis ſubmerſi ſunt: iterumque totidem capti. Inter captos præcipui erant Guido & Joannes Dampetræ, Margaretæ ipſius filii: Theobaldus Comes Guiſiæ: (*imo* Guiſnæ) Godefridus Comes Bituricenſis (*imo* Barrenſis) & cum iis ducenti triginta circiter viri primates, ac non infimi nominis equites. At Meierus hiſtoricus Flander (qui propius ſane videtur ad veritatem accedere) cæſos narrat fuiſſe dumtaxat tricies mille. addens, Guilielmũ Regem, victoria tam inſigni elatum, aures præbere noluiſſe ullis de pace ſermonibus, ac Marga-

retæ

retæ duras admodum leges tuliſſe. ſed cum ipſe biennio poſt in acie cæſus eſſet, prælio quod cum Friſiis tunc imperium detrectantibus committebat, ſubſecuta brevi inter jā dictos Florentium Regis fratrem & Margaretam eſt pax: nec dimiſſi duntaxat, perſolutis redimiis, Flandri, ſed ſponſalia etiam facta inter Florentium quintum, Regis Guilielmi filium, & Beatricem, Margaretæ ex filio natu maiore, Guidone videlicet, neptem: quibus Flandri rationes omnes & jura ipſis quomodocumque in Selandia competentia, Hollandis ceſſerunt in dotem. ac tunc demum ditio inſularum Selandicarum in Comitatum erecta eſt. Sed nec iſta pax diuturna ſatis aut firma. Guido enim Dampetra, jam ipſe imperii compos, impatienter ferebat Comitum Hollandorum in Walachria dominatum. quare

re

re & bellum redintegravit. cui inter utrumque hunc principatum non ante impoſitus finis, quam Selandia, cum Hannonia, Hollandiaque & Friſia tandem conjuncta, deferretur, ex cauſſis in Hollandia nobis expoſitis, ad Burgundiæ Ducem Philippum Bonum. Sic ut hodie degant hæ inſulæ ſub dominio domus Auſtriacæ, cujus nomine gubernantur (ut diximus) à Guilielmo Naſſovio, Principe Arauſino. Atque hæc de Selandia dicta ſufficiant.

FINIS.

Digitized by Google

HOLLANDIÆ
SELANDIÆQUE
PRINCIPES,
Deſumpti

EX BATAVIA ILLUSTRATA

P. SCRIVERI,

Qui accuratè denuo recenſuit.

Digitized by Google

Hollandia unde dicta.

HOLLANDIAM, *alij* Holtlandiam, *id eſt, terram lignorum, alij* Hollandiam, *id eſt, terram caſſam & non ſolidam, dictam volunt. Nonnullis enim locis adeo non ſolida eſt, ut natare dicatur ſuper aquam. Quo autem tempore ita dici cœperit, non me legiſſe memini. Veruntamen conſtat hanc appellationem admodum eſſe recentem. Nam Hermannus Contractus, qui ſcripſit ad annum uſque Domini* M L X V I, *in fine, ubi de Theoderico Marchione quarto eius nominis pluribus locis fit mentio, nuſquam* Hollandiam *nominat, ſed ubique* Fladirtingam. *Ab eo puto oppido quod hodie haud procul Oceano nomen* Vlardingen. *Quod Gerardus Noviomagus vetuſtiſſimum eſſe aſſerit, vocatque* Vlardingam & Vlardingiacum. Fladirtingam *autem non pro oppido ſolum, ſed pro ipſa regione ponit Contractus.* Hactenus Iacobus Meierus Annalium Flandriæ lib. XI.

THEODERICUS I. COMES I.

CAROLUS cognomento Calvus Romanus Imperator, & Galliarũ Rex, quum audiſſet Hollandiam Imperatoriam terram à Danis, qui Trajectum incolebant, vi bellica fœdari, Joannis VIII Pontificis rogatu, Principatum eius contulit Theodorico cuidam Sigisberti Aquitani filio, Trojani ſangninis viro, (anno D CCC LXIII,) ut annales tradunt. Is confeſtim armata manu Hollandiam ingreſſus Friſios compeſcuit primum: Deinde, quum invidere cœpiſſent ii popul tam longam Theoderico cum finitimis pacem, eum provincia eiecerunt. Eiectus confugit ad unicum & promptiſſimum ſubſidium Carolum Calvum

 Impe-

Imperatorem. Cujus iterum opera non ita multo poſt inHollandiam reductus, de iis, qui cõjurationis auctores fuerant, ſupplicium ſumere non diſtulit. Obiit mortem anno initi Principatus quadrageſimo, relicta uxore Geva, nobili femina. Peperit ei hæc Theodericum, qui paterni Comitatus hæres poſtea fuit. Ambo & Theodericus & Geva ſepulti Egmondæ.

Had. Barlandi.

Theodericus I, Comes I.

PRimus ego Batavæ gentis Comes, ortus ab alto
Sanguine Teucrorum, Santone patre, fui.
Pacis amans, bellique potens: hoc victor at illa
Devictis Friſiis invidioſus eram.
Hinc pulſus, Calvo mea regna iuvante recepi:
Reſtitui pacem: pace data, perij.
Quæ mihi mors potuit melius contingere? nam qui
Bellaram iuvenis, pace quieſco ſenex.

Georgii Benedicti.

THEO-

THEODERICUS II, COMES II.

THeodericus huius nominis ſecundus, qui in demortui patris locum factus eſt Comes, iterum rebellantes Friſios bis memorabili prælio devicit. Egmondenſe Monaſterium crematum à Friſiis, ex lapide reſtauravit. Fatalem autem obiit diem, anno gubernationis ſuæ octavo & octogeſimo. Corpus eius ingenti hominum utriuſque ſexus conventu Egmondam delatum.

H. B.

Theodericus II, Comes II.

VIrtutis patriæ patrij quoque nominis hæres,
Marte meo clarus, ut fuit ille, fui.
Idem hoſtis Friſius ſic & victoria utrique:
Hæc blanda imperiis, hoſtis ut ille meis.
Mox etiam flammis monumenta abſumpta paternis
Manibus æterno marmore reſtitui.

His geſtis morior: teſtis mihi fama, tueri
Me nec ſceptra magis, nec potuiſſe patrem.

G. B.

ARNULPHUS, COMES III.

ARnulphus tertius Hollãdiæ Comes, Theoderico patri ſucceſſit. Hic Princeps multa cum Friſiis bella geſſit. Ad poſtremum cæſus ab iiſdem in quodam Weſt-Friſiæ agro non ſine maximo dolore ſuorum, à quibus & ipſe Egmondam exanimis deportatus, in majorum conditorium reponitur.

H. B.

Arnulphus, Comes III.

ARdua, dum vixi, generoſo pectore bella
Suſtinui, ad pacem tardus, ad arma celer.
Teſtes ſunt Friſii, Phrygij qui ſanguinis hoſpes
Senſerunt, hoſtem quid ſit habere Phrygem.

Hac

Hæc mea vita: necem memor ipſa Batavia narret,
Quæ patrio exanimũ me poſuit tumulo.
Pace quievit avus, genitorque; ego primus in armis,
Vtraque mors laudi eſt. elige poſteritas.

G. B.

THEODERICUS III, COMES IV.

THeodericus tertius huius nominis, defuncto patre Arnulpho, rexit Hollandiam. cujus Principatu multis diebus arſit in ea regione ſtella crinita. ſubſequutum eſt bellum Trajectenſe: in quo cæſis vtrimque multis haud obſcuri nominis Principibus, captus etiam Adeboldus loci Præſul abducitur in Hollandiam; ubi Comitis juſſu diu multumque cuſtoditus manſit, quum propoſitas ſibi conditiones abnuiſſet. Creditur eius belli præcipua cauſa fuiſſe, quod Adeboldo inſtigante Friſii

rebellaſſent. Itaque poſtea, ut patris necem ulciſceretur Theodericus, incenſis villis, agriſque late vaſtatis, omnem brevi Orientalis Friſiæ regionem ſuæ ditionis fecit; quumque bello victis Florentium minorem filium præfeciſſet, ipſe victorem exercitum reduxit in Hollandiam. Hieroſolymam profectus, ut Dominicum ſepulchrum ex voto inviſeret, in reditu mortem obiit. Corpus ejus Egmondæ illatum tumulo majorum. Præfuerat hic Theodericus Hollandiæ XLVI annis, quo defuncto, ejus uxor Otthildis ad Saxones ſuos reverſa eſt.

H. B.

Theodericus III, Comes IV.

DEfendi patrium, patre non minor ipſe, Leonem,
Proque parẽte parens, proque Leone Leo.
Me duce Traiecti Præſes, Friſiuſq; ſubacti,
Inferia caſo qui cecidere patri.

Hoſtis

Hoſtis uterque: ſed hic belli, fraudum ille miniſter,
Eventus vates ſtella comata fuit.
Sic pius in patrem vixi, ſic fortis ad arma:
Alterutro quivis vel Deus eſſe poteſt.

G. B.

THEODERICUS IV. COMES V.

POſt defunctum patrẽ Theodericus quartus Comes fuit, qui Leodii, quo ludorum gratia cum multis aliis variarum regionum Principibus venerat, homicidio perpetrato trepidus aufugit. Nec ſic quidem tutus. Nam alii Principes, qui cædem nobilis viri cupiebant vindicare, cum ingenti armatorum manu fugientem uſque in Hollandiam ſunt inſequuti: Dordraci, quam urbem proditione occupaverant, cruento certamine dimicatum, occiſis una nocte quadringentis nobilibus. Defunctus ea pugna Theodericus, mane

ne poſt ſolis ortum, quum animo ſatis otioſo foris deambularet, telo in femore ictus ab hoſtibus, qui nocte ſuperiore aufugerant, biduo tantum ſupervixit.

H. B.

Theodericus IV, Comes V.

QVid vicam carpis, quid prælia geſta, Viator?
Sit ſatis hoſtili me periiſſe manu.
Nam quod Eburonum maculavi ſanguine ludos,
Tota reſiſtentis, non mea culpa fuit.
Bella ſequuta tamen: quæ nullis viribus hoſtis
Geſſit, at interna proditionis ope.
His cecidi moriens, illis velut ante occidi:
Tolle necem hanc, & tunc iudicet ipſe Cato.

G. B.

FLORENTIUS I, COMES VI.

QUum Theodericus ſine prole deceſſiſſet, frater eius Florentius ex Friſia in Hollandiam accer-

accerſitus, Reipublicæ gubernacula ſuſcepit. Huius ſucceſſibus externi Principes aliquot, Archiepiſcopus Colonienſis, Antiſtes Leodinus & Lambertus Comes Lovanienſis invidentes, contraxerunt exercitum, quo novum Comitem Principatu deturbarent. Quod ubi ad Florentium permanaſſet, ſtatim ex conſilio ſenis cuiuſdam, qua hoſtem venturum credebat, factas clam noctu ingentes foveas, ut qui intendebatur dolus procederet, fœno & ſtramine operuit; in quas egreſſi hoſtes quum incidiſſent, adfuit Florentius, qui magna prius edita cæde, multos abduxit captivos: inter quos erat Comes Lovanienſis, quem poſtea grandi pecunia redemptum dimiſit incolumem. Hæc victoria Comitis tantum abfuit ut Archiepiſcopum Colonienſem deterruerit, ut non multis

multis inde annis interjectis cum numeroſo exercitu in Hollandiam ſit reverſus, qui effuſius omnia vaſtanti occurrens cum non pœnitenda ſuorum manu Florentius levi pugna hoſtem fudit. Multi in eo prælio cecidere: reliqui capti, qui ætate, aut alia re impediti, fugere non potuerunt. Fuit annus ille quo Florentius eam victoriam adeptus eſt humanæ ſalutis ſecundus & ſexageſimus ſupra milleſimum. Habent Annales, hunc eundem Principem, non multo poſt ſuperatum Archiepiſcopum, ſub arbore quodam (currendo, an pugnando, dubium eſt) defeſſum ſediſſe, ibique interemptum ab his, qui ſuperiori prælio fugerant.

H. B.

Floren-

Florentius I, Comes VI.

PRæfectus Friſiis, Batavis Comes, unus utrumque
Cavi, neu ſerrent, neu mihi damna darent.
Invidere mihi Grudius, Leodinaque mitra
Agrippinenſi fœdere iuncta comes
Nec mora: colligitur miles, nocitura parantur
Arma, ſed auctori pernicioſa ſuo.
Scilicet una omnes dedit & pugna abſtulit hoſtes.
I nunc, virtutem victa fer Invidia.

G. B.

GERTRUDIS, COMES VII.

MOrtuo Florentio, præfuit uxor eius Gertrudis; qua gubernante non invenio uſquam bellatum. Hæc vita deceſſit, edita iam ex duobus maritis numeroſa prole.

H. B.

Gertru-

Gertrudis Saxonica.

Dum novus imperij ſucceſſor quæritur, anceps
Fœmineo dudum pectore pugna fuit.
Imperium ſprevit ſexus, mens alta cupivit,
Sexuque evaſit altior illa meo.
Capta ſecundavit bona Pax, pulſuſque repente,
Quod dederat Paci, Mars tulit exſilium.
Sic ego regnavi: nunc tu cape regna, Roberte.
Quid numeras annos? reſpice pacis opus.

C. B.

ROBERTUS FRISIUS, COMES VIII.

Robertus ſecundus Gertrudis maritus Theodorici privigni ſui necdum maturi gubernaculis Tutor adſcitus, Rempublicam ſumma integritate continentiaque rexit. pulſus tandem à Godefrido Lotharingiæ Duce, qui Wilhelmi Traienſis Antiſtitis opibus fretus Hollan-diam

diam per vim occupavit.

H. B.

Robertus Friſius.

Patre Pio genitus, Comitem quem Flandria vidit,
Devictæ Friſiæ nomina magna gero.
Auxi dum licuit, pupilli regna Batavi.
Et bene, vigemino pulſus ab hoſte forem,
At tu Leucorum Dux improbe, tuque Sacerdos
Trajectine times vim ſua vis ſequitur.
De me nil dico, pro me mea facta loquentur,
Vires, non animum ſuccubuiſſe meum.

G. B.

GODEFRIDUS GIBBER.

Godefridus, quum jam videret omnia ſibi ex animi ſententia ſuccedere, factus multo elatior, bellum Friſiis intulit; quibus devictis, reverſus in Hollandiam ſubſedit Alcmariæ: novem interim hebdomadas à Friſiis obſeſſus, imploravit opem Trajectenſis Antiſtitis; qui re-

pente ſuccurrens, multis millibus Friſiorum cæſis, Alcmariam obſidione ſolvit. Poſtea idem Godefridus (qui Gibboſus dictus, quod grandis ei pectore gibbus excreverat) condidit oppidum Delfenſe, noſtris temporibus divitiis & pietate multum inſigne. Tradunt quidam eum, quum forte ventrem exoneraret, graviter vulneratum, paucis poſt diebus animam efflaſſe, luiſſeque hoc modo pœnas alieni per vim occupati imperii.

H. B.

Godefridus Gibber.

QVid male parte meis, Hoſpes, regna obiicis armis?
Quid pœnam expoſcis? mors mihi pœna fuit.
Reſpice iuſtitiam, victrices reſpice palmas,
Qua rexi Batavos, queis Friſios domui.
Reſpice fundatas celebres me Principe Delphos,
Mox tangent ipſis ſidera verticibus.

Hæc

Hæc volui te ſcire, Hoſpes: nunc immemor, & dic,
Quam bene firmavit, quæ male quæſierat!

G. B.

THEODERICUS V, COMES IX.

GOdefrido cæſo, rediit Comitatus in familiam & ad verum hæredem Theodericum hujus nominis quintum; qui adminiſtrationem adeptus, pro magno habuit negotio recuperare patriam hæreditatem; cuius gratia Conrado Trajectenſium Antiſtiti bellum indictum, exercitus conflatus: Mirum dictu, qua cupiditate recuperandæ hæreditatis per vim adeptæ, quanta ſit alacritate & impetu hoſtem aggreſſus: qua quidem re factum, ut territus Antiſtes, ac veritus ne illud malum plus nimio invaleſceret, deditionem fecerit. Itaque pax facta, & quicquid antea vi armiſ-

armiſque Conradus Theoderico adhuc puero ademerat, redditum. Ortum interea novum à finitimis bellum, Friſiis nouo Comiti rebellantibus; contra quos per concretas frigoribus aquas (jam enim Brumæ tempus erat) profectus Theodericus. modico negotio eorum aciem diſiecit, cæſis in eo certamine quatuor Friſiorum millibus. Tãtum abfuit, ut ea clade accepta quieverint, ut eodem tempore contracta alio exercitu eduxerint contra Theodericum; qua rebellione vehementer commotus ille rediit, eſtque eo die atroci concurſu tanta Friſiorum ſtrage pugnatum, ut nullius neque ſexus, neque ætatis reſpectus ſit habitus. Plures etiam villæ atque pagi incenſi. Stauria tribus hebdomadibus circumſeſſa, tandem his conditionibus rebellionis veniam impetravit, ut ditione

facta

facta certam pecuniæ quantitatem Theoderico daret. Hunc in modum ſubactis Friſiis, pax compoſita, perpetuumque obſequium Hollandiæ Comiti promiſſum. Hic Theodericus vita defunctus eſt, quum præfuiſſet annis quinque & viginti.

H B.

Theodericus V, Comes IX.

Iam ſublatus erat, qui me Tutore fugato
Expulerat patrij ſedibus imperij.
Quid facerem? amiſſos virtus ſpirabat honores,
Spirantem vires diſtituere pares,
Vicit vim virtus tamen, & te, ô perfide Praſes
Traiecti, ereptas reddere iuſſit opes,
Biſque rebellantes Friſios parere Leoni.
Regna dedit Calvus; reddo ego. maior uter?

G. B.

FLORENTIUS II, PINGUIS, COMES X.

Filius eius Florentius deinde imperat, vir excelſa ſtatura, craſſo corpore, pacis quam belli amantior. Egenos hic & pauperes (quod magnum juſtitiæ opus eſt) aluit, ſtuduitque toto Principatu omnibus prodeſſe, nocere nemini. Hoc modo vivendo, omnes qui ante eum fuere Comites virtute ac ſanctitate antecelluit. Mortuus, poſtquam annis duobus & viginti in ſumma pace & otio Hollandiam rexerat.

H. B.

Florentius II, Comes X.

Dardanica virtute pater ſibi regna paravit,
Parta ego ſervavi, qua dedit ille, fide.
Differimus tamen hoc: quod Mars gratiſſimus illi,
Pax fuit in cunctos officioſa mihi.

His

His fortunatus Princeps ſucceſsibus, omnes
Iuſtitia colui relligione Deum.
Sic ego, dum vixi, nulla gravis omnibus una
Morte fui: ſed nunc utraque vita nova
eſt.

G. B.

THEODERICUS VI.
COMES XI.

FUit inde Comes Theodericus, ſuperioris Florentii filius natu maior, qui ſubita defectione rebellantes Friſios domuit, adque obſequium retraxit. Sed non diu illi in officio manſerunt. Nam paulo poſt Florentio Nigro, quem in Theodericum fratrem animo infenſo eſſe non ignorabant, ſocia arma jungentes, hoſtiliter in agrum Hollandicum incurſione facta, Alcmariam incenderint; exarſiſſetque multo latius id incendium, niſi repente certior factus Theodericus hoſtem retro abire coëgiſſet. Haud multo poſt, quum al-

latum eſſet uxoris eius fratrem à Friſiis captum, exercitum à Trajectenſium Antiſtite ſuperatum, Trajectum profectus, hoſtiliter eam urbem circumſedit, eratque omnifariam mox inſtrumentis oppugnaturus, niſi cum univerſo clero Heribertus Antiſtes Pontificio habitu urbem egreſſus, ut anathemate Comitem notaret, militem compreſſiſſet. Commentarii, quos ſequimur, tradunt, ipſum quoque Theodericum ad Antiſtitis pedes jacentem anathematis fulmen ſuppliciter deprecatum. Supplici ignotum. urbſque obſidione liberata. Huius Theoderici temporibus Trajecti, neſcio quo caſu, ortum incendium, cuius adeo flamma invaluit, ut præcipua urbis templa, non pœnitendis adornata imaginibus, arſerint. Miraculi loco habitum, quod in tanta pulcherrimæ

rimæ urbis conflagratione Ædem Salvatori dicatam ignis non attigit.

H. B.

Theodericus VI.

QVanta latent regnis diſcrimina! vix pater urna
Conderis en, bellum qui ciet hoſtis adeſt,
Hoſtis adeſt Friſius. dumque hic cadit, ecce repente
Traiecti Præſes ad nova bella venit
Teque capit Lavir victum, & me deſtinat Orco,
Si eripiam. O facinus! vim facit, & prohibet.
Cedo tamen quid tum? me poſtera ſæcula bellis
Invictum, victum hac relligione ferent.

G. B.

FLORENTIUS III, COMES XII.

THeodericus, cuius modo res geſtas perſtrinximus, filium reliquit Florentium; qui poſtea factus Comes, matrimonio ſibi junxit filiam Regis Scotiæ, quam

 à Vi-

à ViboldioAbbate Egmondenſi, viro multa ſanctitate prædito, in Hollandiæ portum advectam incredibili apparatu lætitiaque excepit. Hunc & Godefridum Trajectenſium Antiſtitem, de Friſiæ imperio contendentes, in gratiam reduxit Fridericus Imperator, qui ſedandæ altercationis gratia id temporis in Hollandiam deſcenderat. Contigit paucis poſt menſibus, ut, Florentio Comite majoribus curis occupato, Friſii in Hollandiæ agrum egreſſi Alcmariam iterum incenderint; qua re commotus Florentius, educto exercitu, cum Friſiorum gente conflixit. Victi Friſii, non paucis argenti modiis pacem redemerunt. Eſt deinde Florentius cum pleriſque aliis illuſtribus viris Hieroſolymam profectus; quibus omnibus quum una eſſet ſuſceptę peregrinationis ratio, ut Saracenos,
qui

qui Terram Sanctam invaſerant, Divino freti auxilio ejicerent, bis cum ea gente dimicaverunt, ac primo prælio interfectorum armis adjuti, altero ita fœde hoſtem afflixerunt, ut in ea pugna undecim Saracenorum millia ceciderint ; ſpolia ampla relata : tamque ſingularis victoriæ auctori Deo actæ gratiæ. Si ſatis diligenter & integra veritate compoſiti Annales, periit Florentius in Antiochia.

H. B.

Florentius III.

QVid peregrinum, Hoſpes, miraris in urbe Seleuci
Funus & ignoto marmora ſculpta ſolo?
Deſine ; nam latet hoc Florentius aggere, virtus
Quem ſua Memnonias vexit ad uſque plagas.
Qui Sarraceno rediit bis victor ab hoſte,
Qui pacem extorſit ſupplicibus Friſiis,
Invidit Batavos illi tamen, ecce, triumphos
Mors, ne victa foret, Mars quia victus erat.

G. B.

THEO-

THEODERICUS VII, COMES XIII.

THeodericus ſeptimus patri Florentino in Antiochia defuncto ſurrogatur; qui Comitatum adeptus, cum Guilielmo fratre ſuo in Selandia atrociter conflixit. Verum non multo poſt. Balduinus Trajectenſium Antiſtes, & Theodericus Archidiaconus, concordiæ auctores fuere, hac conditione, ut Guilielmus Theoderico majori natu Comitatum Hollandiæ cedens, in Friſia Orientali Rempublicam adminiſtraret, & quotannis ex Geervlietenſi telonio trecentarum librarum (ut vocant) reditum acciperet. Deſiit poſtea in humanis agere Balduinus Antiſtes. à cujus obitu Theodericus Hollandiæ Comes Sedis Trajectinæ (de qua electis duobus contendebatur) factus eſt Tutor; cui

cui ſumma fide res Eccleſiæ curare nitenti obſtitit Geldri conſilium: eſtque ob id cum ea gente dimicatum. Poſtquam hic motus reſedit, Comes Theodericus cum exercitu Brabantiam ingreſſus Buſcumducis vi cepit; eratque nobiles inde viros aliquot in Hollādiam abducturus, niſi ſubitus Lotharingiæ Ducis adventus omnia mutaſſet. Nam cæſis illic in magno numero Hollandis, Dux ipſe captus non potuit prius in ſuum Comitatum redire, quam omne damnum, quod Buſcoducenſibus intulerat, æqua æſtimatione perſolviſſet Idem quum annos tredecim rexiſſet, & morbo gravi non longe à Dordraco premeretur, multum angebatur Gulielmi fratris abſentia. quem Adæ filiæ adoleſcentulæ admodum, & immatura adhuc ætate ad imperandum. relinquere Tutorum cupie-

piebat. Hiſque implicitus curis moritur, omnibus magnum ſui deſiderium relinquens.

H. B.

Theodericus VII.

QVantus amor regni ! vix patria ſceptra capeſſo,
En contra fratrem frater ad arma venit.
Mox Traiectina tueor dum Sedis honorem,
Impedit Otto meum, ne bene cedat, opus.
Perfeci tamen : hinc capta Sylva Ducis uno
Invictus gemino neſcius hoſte premor.
Sic pace Antiſtes, ſic bello ſtrenuus Heros,
Si quis rite fuit, ſolus utrumque fui.

G.B.

ADA, THEODERICI VII filia, COMES XIV.

ADa ſuperioris Theoderici filia, mortuo patre, nupſit illuſtri viro Ludovico Comiti Loſſenſi. Cui quum tantum conjugium à finitimis quibuſdam Principibus invideretur, magni bellorum motus in Hollandia orti,

orti, qui vix tandem poſt multam cædem reſederunt.

H. B.

Ada Theoderici VII, filia.

NEc ſexus mihi, nec fuit ætas apta regendi;
Iura tamen Batavis, ut pater ante, dedi;
Quam bene, fœminei taceo memor ipſa pudoris:
Poſteritas, vitæ conſcia, teſtis erit:
Bellaque cum Ducibus vicinis geſta loquetur,
Dum noſtrorum infeſtant, ô Ludovice, thorum.
Fœminea quid poſſit, cerne Hoſpes; Nupta Roberto
Pacis opes dederat, nunc tibi Martis habe.

G. B.

GUILIELMUS I, THEODERICI VII, Frater, COMES XV.

ADæ neptis gubernationem Guilielmus Orientalis Friſiæ Comes excepit. Ab hoc inimicorum arces aliquot everſæ. Incen-

Incenſum à Trajectenſibus Dordracum; cujus vaſtationis cauſam non invenio. Pax tandem inter Hollandos & populum Trajectenſem ita compoſita eſt, ut Comes Guilielmus, qui prius multo majore incommodo Trajectenſes affecerat, mille talentum Antiſtiti perſolveret. Hic Molgtolini avunculi ſui, Scotorum Regis, audita morte, per quam Regnum lege ad ſe rediiſſe putabat, claſſem contraxit, qua Scotiam ingreſſus, multa oppida expugnavit; ſed quum à Ludovico Loſſenſi Comite Hollandiam igni ferroque vaſtari accepiſſet, ne certum jam acquiſitum Comitatum pro incerto Regno amitteret, domum reductis navibus, Ludovicum adortus eſt, qui Hollandiæ agros latiſſime populabatur. Obiit mortem hic Guilielmus anno initæ apud Hollandos gubernationis unde-

undevigeſimo, in Friſia Orientali ſexto & vigeſimo.

H. B.

Guilielmus I.

ET Friſiam, & Batavos rexi Comes æquus habenas:
Contentus gemino non tamen imperio.
Regna etiam Scotiæ petii trans æquora vectus,
Debita quæ patris fœdere coniugii.
Quin Traiectinis perſolvi mille talenta!
Pacis ut hinc, palmæ certior inde forem.
Sed Ludovicus obeſt: dumque hic mihi vincitur, atra
Mors ſubiit: victor ſic ego in aſtra feror.

G. B.

FLORENTIUS IV, COMES XVI.

FIlius eius Florentius huius nominis quartus fit inde Comes, peritia dimicādi nulli ſuperiorū Principum ſecundus. Magnitudine rerum geſtarum hujus viri accenſa Claromontenſis Comitis uxor maritum oravit,

ut ludos militares ex induſtria pararet; rata futurum, ut Florentius ſtudio dimicandi cum ſuis accurreret. Conſtituitur certamini dies. quem diem quum & Florentius, cuius unius gratia factus erat ille apparatus, veniſſet, læta mulier conſcendit partem domus ſuperiorem, ut ex editiore feneſtra dimicantem proſpectaret; cuius virtutem ipſa quum ſubinde laudibus ferret, ſuſpicans maritus adductum ſibi ante oculos tori inſidiatorem, contractis clam armatis in locum certaminis deſcendit, omniſque rei ignarum Florentium obtruncat. Obtruncati corpus ad Rhenoburgenſe Cœnobium deportatum, ibi loci magnifice ſepelierunt Allemanniæ Proceres. Periit autem hic Florentius viridi adhuc ætate, quum annis duodecim Hollandiæ præfuiſſet.

H. B.

Floren-

Florentius IV.

QVin pergis? ſatis eſt, nomen ſi videris, Hoſpes:
Nam mea, ſi quæras, quilibet acta canet.
Aut qui tercentum me navibus æquor arantem
Oceani rector vidit, & ingemuit:
Aut qui tum caſos duce me meminere Stavinges,
Turbantes noſtra relligionis opus.
Hæc mea facta: necem narrarem nunc quoque: ſed vel
Non perii, vel mox reddita vita mihi eſt.

G. B.

GUILIELMUS II, COMES XVII.

Imperator Romanus.

OCciſo Florẽtio, Guilielmus filius eius nondum maturus adminiſtrationi, erat ſex tantum annos, natus: tamen ei Comitatus Hollandiæ ad puberem ætatem incolumis manſit Tutela patrui Ottonis, Traiectenſium

Antiſtitis. Hic Guilielmus, armorum quam auri multo ſtudioſior, imberbis adhuc, & vix dum annum agens vigeſimum, Romanorum Rex eligitur. cui inde Leodium per Antiſtitem loci conſanguineum ſuum perducto univerſus clerus extra urbem officii cauſa obviam proceſſit. Eodem fere tempore apud Trevirorum Archiepiſcopum pluribus diebus commoratus, rediit poſtea in Hollandiam: Inſtituitque non longe ab oppido Delfenſi Concilium, ad quod Hollandi Zelandique ſuas cauſas deferrent. Locus dicitur Haga-Comitis. Idem Princeps nunciis & literis certior factus Margaretam Nigram, quæ per id tempus Flandriæ præerat, exercitum conflaſſe ad expugnandã diripiendamq; Walachriam Selandiæ inſulam, Florentium fratrem cum armata juventute eo miſit,

miſit, ut Flandros ab iniuria arceret. Accidit forte, ut longe à Middelburgo, nobili Selandiæ emporio, duo exercitus inter ſe concurrerint. Fuit ea pugna Flãdris tam cruenta, ut latiſſime ſeſe in Middelburgenſem agrum hoſtilis ſanguis effuderit. Guilielmus Rex quum audiviſſet, Flandros memorabili clade affectos, navigans eveſtigio in Selandiam, ſuppliciter accurrentibus Flandrorum reliquiis pro innata ſibi clementia veniam dedit; quumque omnes detractis veſtibus nudos remiſiſſet, ne à tanta illa clade reverſi ludibrio ſuis eſſent, ex virentibus piſis ſubligacula ſibi feciſſe traduntur. In hunc modum ſuperatis Flandris, Guilielmus ab Innocentio Pont. Max. in Italiam acceſitus Januæ Cæſarea accepit inſignia. Inde profectus in ulteriorem Allemanniam, ubi per

omnia oppida, pagos, & arces maximis eſt honoribus cohoneſtatus, exſilientibus undique ad Regis adventum plurimis. Interea certior factus, Friſiorum rebellione turbari *Hollandiæ* otia, cum ingenti armatorum manu reverſus, cum hoſte bis conflixit. ſemel primo adventu; eſtque tunc Regiis viribus Friſiorum miles ſubactus. item poſt v Kal. Febr. quum omnia diuturnum gelu pervia feciſſet, Friſiam iterum ingreſſus, ante initum prælium occiditur, novem & viginti annis in publica adminiſtratione completis.

Sunt qui ſcribant, multo prius à neſcio qua Vate prædictum, fore ut armis Friſiorum victus occumberet.

H. B.

Guiliel-

Guilielmus II, Romanorum Rex.

QVis credat? Batavis prima florente iuventa
Princeps, & tibi Rex, maxima Roma, fui.
Mox civile Forum dirimendis litibus Hagā
Inſtitui, pacis non leve præſidium.
Inde rebellantes uno certamine Flandros
Aut ſtravi, aut miſi, ſed ſine veſte, domum.
Poſt victor, Friſios repetens, cado. Quid gemis, Hoſpes?
Inſanis, ni optes ſic quoque poſſe mori.

G. B.

FLORENTIUS V. Comes XVIII.

FLorentius huius nominis quintus, annum agens ſeptimumdecimum, vindicaturus patris Guilielmi Regis cædem, Friſiis bello indicto, non multo poſt cum ingentibus copiis deſcendit. Congreſſi tum prælio Friſii plus octingentos è ſuis amiſere. Florentius poſt aliquot

annos iterum cum exercitu in Friſiam reverſus proſpere pugnavit. Eodem tempore ſenis cujuſdam indicio inventum patris corpus, quod uſque in eam diem interfectores ejus occulerant; Middelburgum in Selandiam deportandum curavit, ſepelivitque magnificentiſſime in Præmonſtratenſium Fratrū Monaſterio, quo non eſt hoc tempore ſtructura magnificentius aliud in Ditione Burgundica. Meruit hac re illuſtris Princeps ſingularis in parentem pietatis laudem. Porro defunctus ſepulturæ munere, cum Flandris, qui mox ad ſubigendā Walachriam adfuturi dicebantur, navali prælio certare conſtituerat. ſed priuſquam educere in hoſtem potuit, interea adfuit Brabantiæ Dux Joannes, quo adnitente facta pax, quæ ut firmior eſſet, Guidonis Flandriæ Comitis filia

lia Beatrix nomine Florentio in matrimonium data. Ex qua quũ ſuſcepiſſet quatuor filios, tres in flore primo extincti ſunt. Multa in diverſis Hollandiæ oppidis Palatia magnifico extruxit apparatu ? & ſucceſſus fecit amœniſſimos, in quibus nunc venationi operam daret, nunc inter forma excellentes virgines deliciaretur. In re quoque militari dimicando jaculandoq; ſe multum exercuit Proditum eſt, eum domi ordinatis rebus in Angliam trajeciſſe, ut Scotorum gentem ſubigeret: verũ rebellione Flandrorum revocatus, mentem ad alia vertere coactus eſt. Quæ omnia prætereo ſtudio inſtitutæ brevitatis. Extremæ vitæ tempore, magis contumeliæ cauſa quam impulſu libidinis, corrupit uxorem Gerardi cuiuſdam Velſeni, quem ipſe prius ad ſummos honores provexerat. Hoc

factum eius quum intolerabile videretur, conſpiratū eſt in eum à multis, Gerardo Velſeno & Hermanno Woerdeno, corruptæ patre, conſpirationis principibus. Apprehenſus igitur Trajecti, quum auditū eſſet in Hollandia contrahi exercitum ad liberandum Comitem, duobus & viginti vulneribus à Velſeno confoditur. Velſenus poſteà captus, perpetrati ſceleris pœnas dedit.

H. B.

Florentius V.

Quid mihi bis mortem facinus moliris ob unum
Poſteritas? ſemel ah ſit periiſſe ſatis.
Quin me quin potius cum Flandris bella gerentem,
Aut mea cum Friſiis prælia geſta refers?
Mitto ego quæ patriis umbris monumenta dicavi,
Eximiæ teſtes quæ pietatis erunt,
Hinc, ſpero, laudē tribues, mutataque dices,
Quod te delevit, delet & illa ſcelus.

G. B.

JOAN-

JOANNES I, COMES XIX.

INterfecto Florentio, quum puer adhuc abeſſet in Anglia filius eius Joannes, diſcordia aliquamdiu in Hollandia laboratū eſt; donec miſſi in Britanniam legati Comitis nuper cæſi hæredem reducerent, ſub cuius appulſum omnis repente ſedatus motus. Hic Joannes natu grandior, bis rebellantes Friſios aggreſſus, magnis affecit cladibus. Hoc etiam Principe Dordraci tumultuatum eſt. Deceſſit poſt exactum in adminiſtratione quadriennium. Eodem fere tempore vixiſſe dicitur in Hollandia Gigas, Nicolaus Kieten nomine, cuius immanitas corporis omnibus fuit admirationi: excelſa ſtatura homines ſub brachio excepiſſe traditur: calceus eius quatuor excellenti magnitudine hominum

minum pedes facile capiebat: pueros quoque in ludum euntes ità vaſtitate ille membrorum territabat, ut niſi procul & à tergo eum aſpicere non fuerint auſi. Hoc fortaſſe non ita facile ſibi fidem apud homines inveniet, quod fabulæ propinquum videri poſſit. ſed cur minus æquo animo audiendum, quam quod olim in Creta inſula repertum ſit humanum caput inſtar dolii: & in terra India vixerint homines tam inſigniter auriti, ut aures ad pedes defluerent.

H. B.

Joannes I.

JAm motu, tam plena metu ſimul omnia circum
Reddiderat caſi mors inopina patris,
Quum Batavi regni, multis renuentibus, hares
Albionum Arctoo rector ab orbe vocor.
Veni ſedavi motus, fidiſque meorum
Diſcordes iunxi conſiliis animos.

Mox

Mox victor redijt à Friſiis : nunc hac ſitus urna
Dic Hoſpes, belli pacis an arte prior ?

G. B.

JOANNES II, HANNONIUS, COMES XX.

QUum ſine liberis Joannes huius nominis primus fato ceſſit, Hollandiæ Comitatus ad Joannem Hannoniæ Principem devolvitur. Hic fratrem ſuum Guidonem Trajectenſium Antiſtitem creatum tanto ſtudio defendit, ut ſemel profligatis qui illum Epiſcopatu dejicere conabantur, nulli deinde arma movere ſint auſi. Per id tēpus eques armatus in cælo viſus, qui adhortatus dicitur clara voce populum ad arma capeſſenda: ſtetit & mare eodem temporis ſpatio innumerabilibus coopertum navibus. ad quód ſpectaculum quum ſeſe accolæ effudiſſent, repente naves illæ omnes evanuere.

re. His tunc prodigiis præmonſtrata ſunt paulo poſt apud Selandos geſta bella. Flandrorum Comes Guido Dampirus (ita enim ſcriptum invenio) intra paucos menſes fruſtra Ziriꝫæam obſedit, maxima ſuorum jactura. Ultimo fere tempore, quo Guilielmus Joannis Hollandiæ Principis filius bellũ hoc ad exitum perduxit, x. Auguſti anno M CCC IIII, tantis utrinque viribus eſt in aciem deſcenſum, ut ad tria millia paſſuũ (ſi veri ſunt Commentarii, quos ſequimur) exauditus ſit bellantium fremitus. Cæſa ſunt in eo certamine decem millia Flandrorum. Naves captæ magno numero. Hac victoria filii audita, Joannes Comes multum lætatus, paucis poſt diebus deceſſit. Sepultus Valencenis, nobili Hannoniæ oppido.

H. B.

Joan-

Joannes II, Hannonius.

QVis non hoſte cadit gemino ? tamen ecce Brabantum
Teque mea vici Guido ſuperbe, manu:
Quos ut regnandi ſtimulavit ad arma libido,
Sic utriſque eadem pernicioſa fuit.
Teſtis Delphenſi Flandrorum victus in urbe,
Teſtis congerie Semita facta virum.
Nunc eat, Ambitio iactet quæ regna ſubegit:
Servata patriæ gloria maior erit.

G. B.

GUILIELMUS III, BONUS, COMES XXI.

SUrrogatur in patris locum Guilielmus, qui cum eſſet vir pietate & innocentia inſigni, BONI cognomentum meruit. Middelburgi apud Selandos Collegium Canonicorum D. Petri ab eo inſtitutum reperio. Sub hoc tempus duobus maximis malis Hollandia biennium laboravit, fame & peſtilentia. hæc latiſſi-

latiſſime vagata, ingentem hominum vim extinxit; illa tam invaluerat, ut ſuper vetitos cibos inventi ſint, qui fame adacti pecudum more naſcentia in cāpis gramina comederint. Anno M CCC XXVIII, Philippus Gallorum Rex Guilielmi huius copiis adiutus, Flandrorum exercitum fudit fugavitque. Eodem anno Gulielmus Friſios claſſe adortus eſt. In Hannonia Præfectum Suyt-Hollandiæ, qui ruſtici pinguiorem vaccam paſcuis abduxerat, & ſuam reliquerat, ultimo affecit ſupplicio. Tantus erat juſtitiæ amator. Idem gravi morbo laborans, quum adeſſe ſibi fatale tempus videret, accerſitum ad ſe juvenem filium hortatus eſt ad cultum veræ pietatis: precatus eundem, ut paci ſtuderet, neque Clerum oneraret exactionibus. Hæc ille pauca locutus, haud multo poſt animam efflavit.

vit. Ante hunc nullus unquam Comes maius reliquit ſui deſiderium. Nam qui ob naturæ bonitatem, triginta tribus annis, quibus præfuiſſe dicitur, omnibus cariſſimus vixerat, non potuit fieri, ut mortuus non deſideraretur.

H. B.

Guilielmus III, cognomento Bonus.

IVſtitiæ cuſtos nullo diſcrimine leges
Iuraque ſubiectis omnibus æqua dedi.
Hoc Batavi Præſes regni me vindice ſenſit,
Dum luit ereptum morte boniſque bovẽ.
Te quoque cum Flandris fœlicia bella gerentem
Auxiliis iuvi, magne Philippe, meis.
Nunc cinis: hoc uno fœlix, quod, ut ante, ſuperſtes
Poſt mortem, toto ſic BONVS *orbe ferar.*

G. B.

GUILIELMUS IV, Comes XXII.

Guilielmus accepto à patre Comitatu, ſtatim cum delecta armatorum manu in Hiſpaniam tranſgreſſus, ut Regem aſſidua cum Turcis Saraceniſque bella gerentem auxiliis adiuvaret, pugnando obiectandoque ſe periculis, in tantam brevi claritudinem evaſit, ut Hiſpanis æque ac militi ſuò gratiſſimus eſſet. Poſtea reverſus in Hollandiam, Traiectum oppugnare adorſus, Nobilium (quos apud ſe habebat) rogatu, civibus has breves, & dumtaxat paucorum menſium pacis redimendæ conditiones dedit, Vt nudatis plantis adapertiſque capitibus egreſſi quingenti ad Comitis pedes humiliter proſtrati veniam poſcerent. Quod quum ita factum eſſet, movit inde in Friſios; ubi dum

dum nimia cupiditate propagādi fines imperii incautius dimicat, ad Staveram occiditur.

H. B.

Guilielmus IV.

Qua fuerit mea vita, mei quis terminus ævi,
Ut taceam, pro me fama loquetur anus.
Illic Heſperius mea prælia narret Iberus,
Hic victum Turcam, me duce, vidit Eos.
Quid Traiectinos pacem veniamque petentes,
Quid Normanne tuas commemorem inducias?
Omnibus his geſtis Stavera cado: nunc mihi Mavors
Reſtituit vitam, qui dedit ante necem.

G. B.

MARGARETA AUGUSTA, COMES XXIII.

SUcceſſit huic ſoror Margareta, Ludovici Romanorum Imperatoris coniunx; quæ exquiſitiſſimo apparatu in Hollandiam deſcendens, filio ſuo Guilielmo hac conditione tradidit eam gu-

bernandam : Ut quotannis ille matri certam pecuniæ quantitatem dependeret. Quæ Friſii per id tempus habebant bona in Hollandia, ut fratris Guilielmi cædem ulciſceretur, Margareta publice vendidit. Trajectenſibus aliquot menſium induciæ datæ. His rebus tranſactis, rediit in Bavariam Ludovici coniunx. Nec interea Traiectenſes quieverunt, exacto induciarum tempore, præter omnium exſpectationem, cum exercitu Hollandiam ingreſſi. Sed hic tumultus ſtatim compreſſus. Poſt hæc reverſæ ex Bavaria matri. Margaretæ Guilielmus Comitatum reſtituit. Quam rerum mutationem excepit bellum, quod cum Traiectenſibus Hollandi feliciter geſſere.

H. B.

Margareta Auguſta.

SUcceſſi caſo fratri tunc Cæſaris uxor,
Sed mox (heu!) tanti conjugis orba thoro.
O vicina nimis, nimis aſpera fata duorum!
O ſi traxiſſet me quoque mors comitem!
Nō ego vidiſſem natum mihi bella moventē,
Infelix hoſtem qua genus ipſa mihi.
Sceptra tamen tenui : nunc hac requieſce ſub urna.
Exemplo ſpernat fœmina regna meo.

G. B.

GUILIELMUS, BAVARUS, COMES XXIV.

GUilielmus, defuncta matre, inivit Hollandiæ adminiſtrationem. Hic princeps Trajectenſium agros ingreſſus, omnia circa urbem hoſtiliter populari adortus eſt. Qua re irritatus Antiſtes, cum ingenti exercitu haud multo poſt ingreſſus Hollandiam, oppido duo capta incendit. Guilielmi hujus principatu, bona pars urbis Harlemenſis de-

flagravit. Sed nec hoc quidem ſatis conſtat, unde tam ingens ſit ortum incendium. Guilielmus exacto in Principatu ſeptennio incidit in phreneſim; quo morbo implicitus, hominem Nobilem etiam cum ſua manu occidiſſet, vinctus in cuſtodiam datur. Commentarii habent, huic viro clariſſimis orto natalibus nomen fuiſſe Gerardi de Wateringen.

H. B.

Guilielmus V, Bavarus.

NAtus Auguſto Batavorum ſanguine, Princeps
Poſt matrem Batavis Hannoniiſque fui,
Omnibus his videor felix potuiſſe videri,
Imperii niſi me præcipitaſſet amor.
Hinc mihi prima mali labes, hinc cetera nata,
Quæ taceo facti conſcius ipſe mei.
Turpia poſteritas, quoniam mihi vita negata eſt,
Æterna hæc mecum morte ſepulta ſinas.

G. B.

ALBER-

ALBERTUS I, BAVARUS, COMES XXV.

REſuſcitata deinde contentio; his ut phrenitici Comitis uxor, aliis ut Guilielmi ex utroque parente frater Adelbertus ſuccederet, adnitentibus: vicit, quod rarum eſt, melior pars majorem, & miſſi qui eveſtigio Adelbertum, qui tunc aberat in Bavaria, adirent: rogarentque ut quando frater mentis compos eſſe deſiiſſet, ipſe deſcenderet adminiſtraturus Rempublicam. Audita legatione Adelbertus in Hollandiam tranſgreſſus, à ſuis officioſiſſime excipitur. Poſtea Delfenſes obſedit, iniuriam ſibi illatam vindicaturus: Nam munimenta & arces aliquot Principis Alberti incenderant, & item in Haga-Comitis abſente Alberto effractis cuſtodiis eduxere quoſdam è ſuis, qui antea fuerāt

Alberti juſſu in vincula conjecti. Nihil tamen hoſtile fecit, illis veniam ſuppliciter petentibus; muri tamen diruti ſunt, ne deinceps unquam rebellarent. Egreſſus inde Comes in Geldriam, prædæ & populationis omnia complevit. Ab ea expeditione brevi in Galliam ad Carolum Regem eſt profectus. Auctores, quos ſequimur, cauſam profectionis hujus non tradunt. Sunt & Friſiones ab eo ſæpius vexati. Præfuit Hollandiæ annis ſex & quadraginta. Apud Hagam-Comitis magnifice ſepultus. Paulo ante obitum huius Principis tanta oborta eſt in Hollandia ventorum tempeſtas, ut maxima hominum ſtrage multæ domus corruerint.

H. B.

Alber-

Albertus Bavarus.

BElgica poſt mortem fratris moderamina geſsi
Illorum imperio dignus, ut illa meo.
Mox etiã ſpoliis firmavi & Marte ſecundo,
Depopulatus agros, Gelria victa, tuos.
Quid Friſiæ gentẽ me ter victore ſubactam,
Auſpiciis referam quid data iura meis?
Poſt tot bella necẽ ſi quæras, deſipis Hoſpes.
Nam mea me virtus eripuit tumulo.

G. B.

GUILIELMUS VI, BAVARUS, COMES XXVI.

PAtri Adelberto Guilielmus filius ſubſtituitur: qui Geldriã ſemel & iterum tumultuoſe ingreſſus, fœde eam populatus eſt. ſed mutatis rebus tantus hic fuit poſtea Reinaldi Gelriæ Ducis amicus, quantus antea fuerat hoſtis. Biennio poſt, Friſiones Hollandiæ agrum, ut ſæpe alias, hoſtiliter invaſerunt: cuius ultionem iniuriæ Guilielmus majoribus curis tunc occupatus in

 aliud

aliud tempus diſtulit. Hic idem Conventu indicto, ad quẽ multi Hollandiæ Principes ſunt profecti, egit in eo de ſurroganda ſibi poſt mortem unica filia; quod quum omnibus placuiſſet, ſtatim confecti ſunt ſuper ea re publicæ literæ. Eodem anno Comes in morbum incidit, quo indies magis invaleſcente accerſi jubet ſacerdotem, cui de contractis tota vita noxiis Chriſtiano ritu confiteretur. Poſt hæc ille quum pauxillũ temporis ſupervixiſſet, fato eſt functus anno ſuę gubernationis tertiodecimo.

H. B.

Guilielmus VI, Bavarus.

SI quis ades longis Hoſpes peregrinus ab oris,
Ni grave ſit, paucis te volo, ſiſte gradũ.
Hic iacet (heu!) Bavara Guilielmus gloria gentis,
Nec bello proavis, nec pietate minor.
Geldria quẽ timuit, Leodinaque mœnia bello
Aſpera, dum pulſo pralia fratre movent.

His

His geſtis moritur: nunc hac iacet Æde ſepultus.

At tu facta memor reſpice, non tumulū.

G. B.

JACOBA BAVARA, COMES XXVII.

IAcoba poſt obitum patris gubernationi admota, quum audiviſſet Ghoricum opidum Hollandiæ à Guilielmo Arkelenſi occupatum eſſe, juſſit confeſtim eo cum expedita armatorū manu occurrere Walravium Brederodiorum Principem, ut repentino ſuorum adventu comprimeretur ille tumultus; aſtque paulo poſt intra muros attrociter dimicatum, cæſis utrimque ducibus. Oppido ſic recepto, venit Hagam-Comitis Jacoba, nupſitque Joanni Brabantiæ Duci. Interea Joannes Bavariæ Dux Jacobæ patruus, impetrato ab Imperatore Comitatu, quem jure ſibi deberi credebat quod Gui-

Guilielmus frater nullam virilis ſtirpis prolē reliquerat, magnos tota Hollandia motus excitavit. Hinc bellum inter eum & neptē orta. Plures etiam urbes hoc metu à Jacoba defecerunt; quæ compoſita poſtea pace Joanni ſunt relictæ. inter quas fuit & Dordracum, urbs hodie multum celebris. Manſit idem Joannes per triennium Hollandicarum rerum tutor. Quo temporis ſpatio plurima domi foriſque geſta, quæ Catalogum tantum nō perpetuam Hiſtoriam ſcribenti mihi ſunt prætereunda. Inter Joannem Ducem Brabantiæ & Jacobam eius coniugem ortæ poſtea iræ ita magnæ, ut brevi ſit inde divortium ſubſequutum. Variis interea motibus agitari Hollandia; quæ, poſt defunctum Bavariæ Principem & ſuum Tutorem, ſpreta Jacoba, Joannem ejus maritum Comitem aſſumpſit.

pſit. Hic brevi, quum & Brabantiæ Dux eſſet, credo delectatus Lovanii Brabantiæ urbis amœnitate, condidit inibi Gymnaſiũ, in quo liberales Artes publice docerentur, Cæterum hæc Schola ſucceſſu temporis multum crevit, præcipue acceſſione Collegii, in quo publice tres linguæ docerentur, Hebraica, Græca, Latina. Magnis impenſis inſtituit hoc Collegium vir clariſſimus Hieronymus Buſſidius, Prępoſitus Arienſis, anno Salutis humanæ cIↃ IↃ XVII. Jacoba extremo vitæ tempore, quum poſt tot indecora connubia (nupſit enim Joanne adhuc in humanis agente pluribus maritis) nullam haberet prolem, Philippo Burgundiæ Duci, materteræ ſuæ filio, Comitatum Hollandiæ per manus tradidit.

H. B.

Jaco-

Jacoba Bavara.

Viderat eximiam Mavors regnare Iacobam,
Quum ſecum, Haccine, ait, fæmina ſceptra geres?
Haudita: mox patruum furibunda capeſſere tela
Juſſit, & hoſtili regna parare manu.
Poſtquam reddita pax, nova concitat arma Philippus,
Belli auctor factus, qui modo pacis erat.
Sic moritur: felix, ſi natus filius eſſet
Crede mihi, hac poterat gignere mater avum.

G. B.

Joannes Bavarus, Electus.

PRæſul Eburonũ, Boierũ ſanguine cretus,
Fratris ab exceſſu totus in arma feror.
Non tanti Leodina mihi ſacra mitra fuiſſet,
Sed fuerant tanti ſceptra Batava mihi.
Dordrechtum haud veritus, pulchraſque invadere Leydas,
Et neptem regnis exſpoliare ſuis.
Iamque exuta bonis petulans Iacoba fuiſſet,
Exutus vita ni prius ipſe forem.

P. S.

PHI-

PHILIPPUS BONUS, COMES XXVIII.

PHilippus accepto à nepte Comitatu Hollandiæ, quum eſſet ob quaſdam res infenſo in regem Anglorum animo, Caliſiam in Flandrorum finibus ſitam urbem tanta armatorum manu obſediſſe dicitur, ut ſoli aurigæ, qui bellica inſtrumenta aliaque ad militiam neceſſaria eo advexerant, ſufficere potuerint ad urbem expugnandam. Cæterum antequam Caliſia tentari cœpta, obſidio ſoluta eſt diſceſſu Gandavorum & Brugenſium, pro quorum ardore iraque nimis pigre Philippus omnia faciebat. Idem Princeps non multo poſt in Haga-Comitis primus Aurei Velleris habuit Comitia. Filium ſuum, cui Davidi nomen, gementibus atque invitis Trajectenſibus, Antiſtitem urbis fecit.

cit. Hoc etiam adnitente Ludovicus Delphinus Galliæ Principatum eſt adeptus. Et Philippus quum per hæc aliaque virtutis opera quatuor & triginta annis Comes Hollandiæ fuiſſet, Brugis morbo gravi affectus, vita deceſſit.

H. B.

Philippus Bonus, Burgundio.

QUiſquis ades, magni tumulum reverere Philippi:
Aurato inſignem vellere nonne vides?
Cui Traiectinam, quem rexit Filius, urbem:
Cui Regem debet Gallia tota ſuum.
Quid referam eximios pulchræ virtutis honores,
Quæ meruit vivus nomen habere BONI?
I nunc, perge memor tam rari Principis Hoſpes,
Felicemque urnam hanc crede tuoſque oculos.

G. B.

CARO-

CAROLUS BELLICOSIUS, COMES XXIX.

HUic ſucceſſit filius Carolus, rerum geſtarū magnitudine patre ſuperior, & ut ille conſilio prudentior, ita hic animo magnificentior; qui quum eſſet Hollandiæ Comitatui inauguratus, non magno poſt tempore ingenti conflato exercitu in Leodinorum agrum profectus, ob conjectum in vincula Ludouicum Borbonium ipſorum Antiſtitem perneceſſarium ſuum, eorum urbem acri bello expugnavit, expugnatam diripuit, direptamque evertit. Poſt Leodii excidium hic Princeps militari virtute nullo ſuperiorum Comitum inferior alia multa bella geſſit, mira celeritate ſemper atque ardore; quo apud poſteros id eſt conſequutus, ut Carolus jam nō hominis, ſed bellicæ fortitudinis

nomen habeatur. Apud Nantiũ, quod extremo tempore obſidione cinxerat, tribus confoſſus vulneribus periit pridie Epiphaniæ. Quo Duce extincto in ipſo ætatis & rerũ proſpere geſtarum flore, diuturnus apud omnes totamque Hollandiam luctus fuit. Sed nec Principis ſui amantiſſimæ gentes, cædis nuncio fidem primum habuere, quod ut fortiſſimum Ducem, ſic invictum crediderunt. Annus ille, quo Dux tam nobilis ante Nantium cæſus eſt, fuit humanæ Salutis M CCCC LXXVI. Ita colligit Sabellicus. Alii duos adjiciunt: Rurſus alii quinque ſubtrahunt annos. Varietatem hanc demiror in re adhuc recenti. Cum Sabellico vulgus conſentit, conſentiunt natu grandes, quorum memoria res accidit.

H. B.

Caro-

Carolus Bellicoſus.

HAnnibal in caſtris, Romanus in agmine Cæſar,
In pugnis Macedo, Carolus unus erat.
Sic triplici geſtans invictum pectore pectus,
Vertit Eburonum mœnia capta ſolo.
Mox quoque Menapios, Leucorumque aſpera colla
Invicto victor ſubdidit imperio.
Occubuit tandem NancI: nunc, ut prius armis,
Nomine ſic Martis vivit, Olympe cares.

G. B.

MARIA CAROLI Filia, Comes XXX.

MAriam Caroli (de quo modo locuti ſumus) filiam unicã, forma excellenti virginẽ, quum nobiliſſimi Principes Fridericus Imperator & Ludovicus Gallorum Rex certatim, hic Carolo, ille Maximiliano filio uxorem peterent, convocati ſunt Lovanium Patriæ Primores, qui auditis quæ poſtulabantur, cenſue-

runt ex patris Caroli voluntate Maximiliano Friderici Imperatoris filio Mariam dandam in matrimonium. Quod adeo inique animo tuliſſe Gallos dicitur, ut ſtatim omnibus quibus præerat Maria bellum indixerit. Per id tempus Atrebatum hoſtiliter adortus eſt, admiſſuſque in eam urbem, cæſis primoribus, diripuit primum bona civium, deinde ſine diſcrimine etiam juſſit occidi omnes qui Mariæ faverent: vaſtavit inde quidquid agri oppido circumjacet. In Hannoniis Avennas vi captas incendit, miſſis Pariſios iis quibus ducibus incolæ reſtiterant: Ii poſtea non niſi ingenti pecunia ſeſe redemerunt. Eodem tempore, quum Gallus & mari premeret, ab Hollandis Amſtelredamorum ductu proſpere pugnatum eſt, capta navi à Genevenſibus, cuius magnitudinem

nem noſtri homines admirabantur,

H. B.

Maria Caroleſia.

Dum iacet & fama Mavors ſpoliatus & armis,
Idaliæ iuſſu bella Cupido movet.
Huius conſilio Cæſar, Galluſque Mariam
Uxorem nato quærit uterque ſuo.
Patria ſtat iudex: hac victor iudice Cæſar;
Iungit eam thalamo, Maximiliane, tuo.
Felices ambo, niſi, quæ diſrumpere Gallus
Fœdera non poterat, morte ſoluta forent.

G. B.

MAXIMILIANUS AUSTRIUS, COMES XXXI.

Maximilianus, Caroli Ducis filiâ in matrimonium Gandavi receptâ, factus Hollandiæ Comes, ditionis ſuæ Principes omnes literis ac nunciis hortatus eſt, ut ad bellum Gallo, qui uſque in eam diem Mariæ provincias magnis cladibus affecerat,

rat, inferendum arma ſecum induerent. Ad quam expeditionem quum non pauci Nobiles viri opinione celerius adveniſſent, in Morinorũ agrum egreſſus cum Gallis acie conflixit. Fuit ea pugna Gallorum Ducibus infelix, bona militum parte cæſa. Movit inde Maximilianus in Tornacenſes; quos tam arcta cinxit obſidione, ut ſtatim petentes pacem ſeſe dediderint. recepti hac conditione, ut ſi unquam alias Flandris rebellaſſent, publicarentur eorum reditus omnes, quos quotannis ex Flandrico agro percipiebant. Anno proximo in Hollandiam reverſus Maximilianus, conſtituit Vice-Comitem alium eius provinciæ, quum ipſe rebus magis arduis implicitus adeſſe non poſſet. Hæc tum ab eo adhuc Comite geſta. Quæ poſtea geſſerit Imperator, adeo multa ſunt

&

& varia, ut ſeparatim volumen requirant. Illud ſolum adiiciam, huius morte Principis nihil accidere potuiſſe luctuoſius rebus humanis: & utinam ſine ſanguine huic ſucceſſorem inveniat orbis! Deceſſit autem hic Princeps longe optimus ac liberaliſſimus anno Virginei partus M D XIX, menſe Januario.

H. B.

Maximilianus Auſtrius.

AUſtriacæ gentis ſoboles patre Cæſare natus.
Invicta geſſi Belgica ſceptra manu.
Te quoque ſanguineos enſes Ludovice minantem
Coniugio docui ſanctius eſſe nihil.
Hæc feci Princeps: quæ Cæſar deinde peregi,
Iudicium populi vox lachrimæque dabunt.
Sunt hæc ſigna meæ mortis, ſed ſunt quoque vitæ:
Felix! qui ſola morte ſuis gravis eſt.

G. B.

PHILIPPUS II, AUSTRIUS, Comes XXXII.

Philippus per ætatem adminiſtrationi maturus, ultro cedente Maximiliano patre, gubernacula Hollandiæ ſuſcepit. Noſtra memoria hic Princeps cum magno peditum & equitum globo ingreſſus Geldriam, ut eam terram olim à maioribus ſubactam repeteret, omnia terrore complevit: pleraque oppida perculſa metu ad primum ſtatim potentiſſimi Ducis adventum ſeſe dedidere. In his principiis videbatur brevi Geldriam univerſam domiturus, niſi repente mutatis (ut fieri ſolet) rebus, in Hiſpaniam profectus fuiſſet, ut Caſtellano Regno inaugureretur. Fuit ea Philippo maxime pacata magnificaque profectio, & altera illa nobis plane non triſtis ſolum, verum

etiam

etiam luctuoſa. Nam tunc in Hiſpaniis deceſſit adhuc juvenis, & ampliſſimis imperiis deſtinatus.

H. B.

Philippus II, Auſtrius.

O Fluxum decus imperij! vix Belgica nactus
Sceptra, (heu) crudeli morte Philippus obit.
Nec licuit creſcentem animo proferre vigorem,
Æmulaque (heu) patri facta patrare ſuo.
Belgica, tu tanto ſuſpires orba parente,
Et dic: Heu, magnis mors inimica viris.
Nam ſi aut hic ſenior, vel ſerior illa fuiſſet,
Dixiſſes: latet hic, qui patre maior erat.

G. B.

CAROLUS V. IMPERAT. COMES XXXIII.

CErtabant nuper Pietas & bellipotens Mars
De vita & factis, Carole magne, tuis:
Laude hic te dignum referebat, at illa negabat,
Hic capta Roma, ſed memor illa crucis.

Tandem multa minans, quid verbis obſtrepis? inquit,
Quum Pietas, iudex Iuſtitia; inquit, erit.
Tunc litem Dea Iuſta ſecans, Verum, inquit, utrumque eſt:
Nunc ite, at quam vos prælia dira manent.

G. B.

De eodem.

NOn erat quicunque refert te Carole magnum,
Ipſe quum non ſis, quem regis, orbe minor.

HUBERTI CLERICI.

Ad Illuſtriſſimum Carolum V. *Romanorum & Hiſpaniarum Regem Philippi filium,*

HADRIANUS BARLANDUS, anno 1519.

PErduximus, juvante Deo, Catalogum Hollandiæ Principum ad Celſitudinem tuam, Illuſtriſſime Carole, de qua jam pri-

pridem tui cives nihil exſpectant mediocre. Omnibus certiſſima ſpes eſt, te aliquando magnum illum Philippum pietate, Carolum (qui ob rerum geſtarum magnitudinem Bellator à quibuſdam dictus, & quem tu nomine refers) bellica virtute, avum Maximilianum clementia, Philippum patrem comitate facilitateque ſuperaturum. In hanc autē ampliſſimam ſpem tui amantiſſimos, tuiſque obſequiis impenſiſſime deditos cives adduxit cum naturæ tuæ bonitas; tum exacta ſub incorruptiſſimis magiſtris pueritia tua. ex qua jam egreſſus, maiorum tuorum indolem aperte repræſentas. Bis igitur beatus futurus, quiſquis erit ille, qui te ſenem, quem ego nunc juvenem alloquor, à rebus geſtis laudabit: efferret à pietate in Divos, moderatione in ſumma fortunæ indulgentia; mode-

ſtia

ſtia in tanto rerum omnium ſucceſſu; comitate in tanto florentiſſimo Regni faſtigio; denique à ſapientia, per quam Principes imperant, & diſcernunt juſtitiam.

Ex Iacobi Marchantij Flandria.

CArolum anno MCCCCC biſſextili Februarii die Lunę Matthiæ ſacro Gandavum in lucem protulit. Pueritiam Caroli (nam ſexennis patrem amiſit) & adoleſcentiam ad probitatis normā direxerunt Margarita amita, Archiepiſcopus Veſontinus ex progenie Vergya, Guilielmus Croyus Arſchotæ Cievræque Regulus, & Hadrianus Florentius Ultrajectinus, Theologiæ Lovanii Doctor, Academiæque Cancellarius, qui poſtea ad Papatum, ſub nomine Hadriani VI, ſola virtute doctrinaque

Romæ

Romæ cognitus, pervenit. Et in tantam gloriam Carolum extulerunt, non Ludovici XI. Galliæ Regis ab Hiſtoria Cominæi æmulatio, ut Bodinus aſſerit, quo Regem illum probiſſimi Cæſaris comparatione incruſtet, illuſtretque; ſed cum inculpata educatione coniuncta exempla avi, tam paterni, quam materni, qui ceteros in Europa eius ſæculi Reges virtute, auctoritate, atque laude anteceſſerunt. Hunc Belgica anno M D X V Principatui inauguravit, Hiſpania altero poſt anno, Germania anno M D XIX. Regem atque Cæſarem agnoverunt: quamvis Hiſpaniæ regnis non fuit inauguratus ante annum M D XVIII. quod incredibili ſplendore factum fuit Validoleti in templo Paulino: ubi Ferdinandus frater, ſuis manibus in manus Guilielmi Croyij Cievrii rite complicatis, fideli-

tatem

tem hominii juratus , ad latus Regis in ſolio ſedentis , & hoc jubentis, nudato vertice ſtetit, Procerumque Hiſpaniæ ſe homagio devincientium juramenta Regis vice recepit. Convenerat autem anno MDIX inter utrumque eius avum Maximilianum atque Ferdinandum, ut Carolus, matre vivente, donec ipſi vigeſimum quintum ætatis annum attingeret, Regia appellatione abſtineret, ac adminiſtratione: & hanc Ferdinando avo materno interea concederet, maſculam prolem ex ſecundis nuptiis non ſuſcipienti, & quotannis ex Hiſpania quadringentas auri libras conferenti. Ferdinandi mors, mentiſque in matre impotentia, Regnum Hiſpaniarum ipſa acceleravit. Anno MDXX menſe Octobri, Aquiſgrani in Cæſarem inauguratus eſt. Turnacum eiuſque arcem

atque agrum anno M D XXI Gallis eripuit, ſibiq; ſubdidit. Chriſtiernum II. Daniæ Regem, ſororis virum, tribus Regnis per ſubditos vicinoſque exutum cum uxore liberiſque recepit an. M D XXIII, ejuſque reſtitutionem non vehementer, liberos valde juvit, aluit, nuptumque dedit. Fratribus Equitibuſque S. Joannis Hieroſolymitani Xenodochii Rhodo anno M D XXIII per Turcos eiectus donavit Melitem inſulam, juratis eo nomine clientelæ fidelitatem. Capto ad Papiam M D XXV Franciſco I. Galliæ Rege, Flandriam Arteſiamque omni ſupremo Franciæ imperio & qualicunque obſequio emancipavit: cunctaque Andegavenſium in Neapolim & Aurelianenſium in Mediolanum Genuamque jura, à Francis abdicata, in ſe tranſtulit. Roma ab eius exercitu anno M D XXVII,

ſexto

ſexto Maii die, ad ſuburbium, qua mons, quaque S.Spiritus templum, ſuperata fuit, atque ſpoliata. Ultrajectina & TranſIſelena ditio Henrici Bavari Palatini Epiſcopi, Ordinumque regionis ceſſione, à Clemente VII Papa Imperioque approbata anno M D XXVIII, in illum tranſiit: quum duodecim ante annos Friſia acceſſiſſet à Georgio Saxoniæ Duce, centum florenorum millibus tranſigente: cuius patri Alberto, Belgii Præfecto, in compenſationem pecuniæ mutuæ, operæque ſtrenuæ & ſumptuoſæ, per Caroli patrem conceſſa fuerat. Anno M D XXX à Clemente VII. Pontifice in Imperatorem Auguſtum die natalitio Bononiæ conſecratus eſt. Soleymannum Turcum potentiſſimũ toti Germaniæ inhiantem anno M D XXXII domum fugavit. Regna Cuſcava, Mexicana, Peruya,

in

in Indiis Occidentalibus, auſpiciis avi eius Ferdinandi per Chriſtophorum Columbum Americumque Veſputium Italos primum compertis, opera Corteſii & Piyarri Hiſpanorum, Chriſto ſibique ſubjugavit. Vrbem ampliſſimam in Africa, quam Polybius Tunes vocat, quindecimque paſſuum millibus diſtare ſcribit à Carthagine, atque annexum illi regnum latiſſimum, Hairadino Ænobarbo anno M D X X X V eripuit, ac Muleio Hazanio legitimo Regi reſtituit, leviſſimo, binorum puta falconum, totidemque pernicum equorum, tributo impoſito; & arce Goleta retenta, firmataque præſidio Chriſtiano. Quo tempore, Franciſco Sforica ſecundo à vita ſine liberis decedente, Mediolani Principatum jure Cæſarum prærogativo, tam ſuo, quam Friderici ſecundi

Ii pro-

proavi, acquiſivit. Unde illum plus emolumentorum quotannis hauſiſſe, quam Regem Franciſcum I, ſub idem tempus ex Gallia; & ex Belgio plus annuorum fructuum percepiſſe, quam Regem Henricum VIII. eadem tempeſtate ex Anglia, Bodinus polyhiſtor in ſuis de Republica libris commentatus eſt. Magno eximiæ fiduciæ integritatiſque argumento, anno MDXXXVIII ad aquas mortuas, quas foſſas Marianas dicunt fuiſſe, & altero poſt anno peragratis Galliis, ſe permiſit hoſpitio fideique Regis Franciſci, nemini Regum tunc cedentis ſinceritate, ac honorificentia hoſpitalitatis. Geldriam cum Zutphania, per Carolum proavum coëmptam, poſſeſſamque, ſed ereptam à Carolo Egmondano ad annum MDXLIII recuperavit, abtraxitque Guilielmo Cliviæ Duci, novo poſſeſſori:

ſori: quum ante annum ad Argieram Africæ, non victoriæ, ob incredibiles aëris mariſque tempeſtàtes, ſed rariſſimæ conſtantiæ laudem promeruiſſet. Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem Electorem, & Philippum Heſſiæ Landgravium, illum forti ad Albim prælio, hunc tranſactione controverſa, nominiſque ſui metu, neque non maximam Germaniæ diſiunctæ partem anno M D XLVII arbitrio ſuo cuſtodiæque facilius ſubdidit, quam retinuit: Cameraco, vetuſta Imperii urbe, paucos annos contra Gallos aſſerto, arce impoſita, veluti freno atque vadimonio. Eodem hoc anno M D XLVII illi Paulus III. Pontifex ex familia Farneſiana Romanus agnomentum Maximi, Cardinalium Senatusconſulto, attribuit. Mediomatricum Metim, à Gallic interceptam, anno MDLII

fruſtra obſedit; propter hyemis rigidæ nivoſæque aſperitatem, & præſidii nobiliſſimi pertinaciam. Teruanam Morinorum, antiquam nobilemque urbem, Gallis fidam, perpetuamque Flandriæ Occiduæ noxam, anno MDLIII oppugnatione cepit, funditusque delevit, cum Heſdino, novumque Heſdini opidũ ſtruxit loco aptiori. Belgii Proceribus, Urbiumque Legatis præſentibus, ditionum adminiſtrationi Gandavi renunciavit, filii præſentis & ſuccedentis virtuti confiſus, ad annum MDLV, menſe Auguſto: tum rerum humanarum regnandique tædio, & cæleſtium deſiderio: tum aſthmatis anguſtiis debilitatus. Ex Selandiæ Rameka, anno MDLVI, Septembri menſe ſolvit, & cum Leonora Mariaque ſororibus viduis ad Laredum Hiſpaniæ portum applicuit: inſignm ille ulti-

ultimamque tranſvectionis operam feliciter navante claſſis præfecto, Equite Flandro, Wackenii comarcho. Inde ad Hieronymianum Sodalitium D. Juſti, ſeptem à Placentia miliaribus, diocœſis Toletanæ, locum perpetuo vere ſalutiferum, lectice vectus eſt, ibique cum duodecim tantummodo intra domeſticos parietes familiaribus (in quibus Malinæus Burgenſis hiſtoricus erat) ſancte vixit, injungens ut ſolummodo Carolus appellaretur. Illic Romanum Imperium ſponte abdicavit, brevique mortalitatem explevit ad annum M D LVIII, XI Kal. Octob. ætatis anno 58, menſe VI, die XXVII, Principatus paterni LII: regnorum maternorum XLIII, S. Imperii XL. Sepultus eſt Eſcuriali: ubi filius Philippus ſumptuoſiſſimum templum, abſque cœnobio Laurentiano, inſtituti

Hieronymiani, ædificavit. Ex Iſabella Emanuelis Portugàlliæ Regis filia, quæ anno M D XXXIX menſe Maio Toleti deceſſit, reliquit Philippum *virilis ſtirpis* unicum, ſucceſſorem, *Mariam* & Joannem: Illam *Maximiliano* II. Cæſari: hanc Joanni Portugalliæ Principi conjugatas. Nothos habuit non ignotos, Joannem, nobiliſſimo ad Naupactum contra Turcos prælio celebrem: atque Margaritam, Alexandro Medices Florentinæ ditionis, dein Octavio Farneſio, Parmæ Placentiæque Ducibus, nuptum à patre elocatam.

PHILIPPUS III, COMES XXXIV.

PHilippus, Belgii Principum primus, in Hiſpania, Valle Olitana, urbe Vaccæorum, anno M D XXVI, menſe Maio, in lucem pro-

prodiit: quo tempore patri Roma ſubjugabatur: non levi eius amplitudinis augurio, qua illum dilatari ceteri Reges obſtupeſcunt, terrarum Turcicæ potentiæ dimenſionem decies antecedentem; ſi Joannis Bodini Galli polyhiſtoris de Republica commentariis adſtipulemur; atque hinc in Europa octodecim regnorum, olim diſtinctorum, & tot Ducatuum, Comitatuum, aliarumque ingentium ditionum accumulatam poſſeſſionem: illinc Indarum, Novique Orbis Monarchiam perpendamus. Mariam patris conſobrinam, Angliæ Reginam, per Lamorallum Egmondanum Gaveræ Principem, procuratorem ſuum, antea ſibi deſponſam, anno MDLIV, Wintoniæ in uxorem accepit: Regno Neapolis, & Ducatu Mediolanenſi, propter nuptias à patre donatus. Anni MDLVII

inſignes contra Gallos pugnas victoriaſque ad Quintinopolim ac Grevelingam, illuſtriori ad annum MDLIX, menſe Aprili, pace exornavit: qua ſibi ingens nomen amplificavit, & Emanuelem Philibertum) Sabaudia Pedemontioque ad annum MD XXXV cum patre ejectum, avitis ditionibus reſtituit, magna in amicitia conſtantiæ, & in potentia efficaciæ commendatione. Præclariſſimæ oleæ annexuit lauream immortalem, tum auguſto Muſarum templo Duaci dedicato: tum ſacroſanctis Bibliis, Græca, Hebraica, Chaldaica, triplicique Latina lingua correctiſſimis ornatiſſimiſque, ex Academia Complutenſi orbi univerſo communicatis. Ex Flandria, cæteroque Belgio, pace tutis, ac opulentia copioſis, ſub finem anni MDLIX in Hiſpaniam enavigavit. Poſt cuius diſ-

ceſſum,

ceſſum, quam non tantum in Flandria, ſed in toto Belgio miſere & infeliciter, peccatis noſtris apud Deum ita promerentibus, omnia ſucceſſerint, notiſſimum eſt: noſtrique non eſt propoſiti, nec præſentis inſtituti de iis agere. Obiit autem Philippus Rex potentiſſimus in Eſcuriaco S. Laurentii cœnobio, quod eſt Sodalium Hieronymianorum, XIII Septembris die, anno MDXXVIII, ætatis anno ſeptuageſimo primo.

Philippus III, Hiſpaniarum Rex.

Multa Triumphator magnus mihi regna paravit,
Multaque vindiciis regna parata meis.
Quid tamen hæc proſunt? in me mea Belgica ſævit,
Præcipua Hollando bella movente mihi.
Libera gens, nullos umquam admiſſura Monarchas,
Hiſpano refugit ſubdere colla iugo.

Diſplicet exemplum: ſed tu prouincia laudas,
Et gaudet cineres tam procul eſſe meos.

P. S.

FINIS PRINCIPUM.

[Hi de Etymo Zelandiæ verſus collocandi poſt paginam 356.]

De Etymo

ZELANDIÆ.

*Maſcula Gens, quam Zelandos hæc nuncupat ætas?
Cur vos Mattiacos priſtina ſæcla vocant?
An quia vulgato gentis ſermone ſoletis
Conſortes operum* MAAT *vocitare viros?
Sive fuit priſco Toxandria nomen ab avo,
Sive Gigantæos vos, Slaviósque vocem?
Ecquis ab antiquo credat deducta Zalando,
Noſtráque in Iliacâ ſceptra fuiſſe manu?
Arboricasve putem ſignatas nomine terras,
Fortè quod arboribus luxuriabat humus?
Quáque alia inſtabili Criticus diiudicat arte,
Iſta ſub obſcuro cortice ſenſa latent.
Sed cur Zelãdi nunc dicimur? an quia nobis
Plus vicina quatit littora noſtra Thetys?
An quia Cimbrorum Sialandia Gentis origo eſt,
Aut debellatis imperitavit avis?
An quia ceu Syrtes mediis enaſcimur undis,
Quà mare, vel denſis turget arena vadis?
Sive quod æquivocans telluris imago, maríſque,
Nos velut æquoreos, terrigenáſque facit?*

An

An quia diſiecti in varias diſpeſcimur oras,
Mixtáque ſunt terris æquora, terra mari?
Nominis hæc noſtri ratio eſt, luctamve ‡ in undis,
Rurſus & emerſo vertice ſtamus humo.
Nempe reſurgentis docet hoc inſigne Leonis
Quæque ſub inſcriptis ſunt monumenta, notis.
Omnis in indomito nobis natat inſula ponto,
Vnanimeſque tumens diſgregat unda manus.
Hinc tantum ad ſocias patet unica ſemita terras
Qua vagus æquoreum navita ſulcat iter.
Nil valet hic currus, nihil officioſa caballi
Vngula, nil faciles ire, redire pedes.
Quattuor, aut ſeptem digitis à morte remoti
Inſido vehimur vírque, puérque mari.
Hoc tamen hoc aliis præſtamus in æquore regnis,
Vincere nos hoſtis non valet, illa valet.

ADRIANUS HOFFERUS.

‡ LUCTOR, ET EMERGO.

In

In Inſulas aliquot Zelandiæ mari merſas, & alias rurſus è mari enatas, & novis aggeribus cinctas.

Aſpicis immerſas pelago, Zelandia, terras,
Et loca Neptuno ſubdita multa Deo.
Aſpicis emerſas alibi conſurgere terras,
Et loca Telluri reddita multa Deæ.
Sic mare, terra vices faciunt, Satyriſque fugantur
Naiades, átque iterum Naiadibus Satyri.

ADRIANUS HOFFERUS.

BIBL LYON

INDEX

INDEX.

A.

Admiralitatis conſiliarii. 158
Albanus. 91
Alcmaria. 255. 433. *incenſa.* 439. 442
Amſterodamum. 43
Angli, gens vetus Germanica. 59
Aquæ Mattiacæ, Badenſes. 118
Aquenſium Reſpublica, urbs Badenſis. 119
G. *Arauſionenſis Princeps.* 95
Arborica inſula. 344
Arenacum *Taciti*, Arnhem. 123
Armamentarium pop. Rom. 137
Arnemuda. 386
Aſpera. 263

B.

Barlandia. 397
Barones. 34
Bato fictitius. 194
Batua. 56 124

Bata-

Batavia. 56.125.194
Batavicæ fortitudinis fideique exempla. 48,49.55
Batavicæ Reipublicæ antiquitas. 99. *Reſpublica prima.* 23.33. *ſummæ rei poteſtas poſt reges & duces.* 33. *Reſpublica florente imperio Rom.* 40. *poſt lapſum imperii Rom.* 55. *tempore Comitum.* 60. *in bello.* 93. *& poſt bellum.* 97. *forma.* 161
Batavi. 35.113 *olim inter Chattos* (*nunc Haſſos*) 23.114. *quanam in re ab reliquis Germanis diſſimiles fuerint.* 38. *Romanis æquales.* 45. *Eorum auxilio pro Romanis.* Ibid. *cum omnibus aliis nationibus comparatio.* Ibid. 47.106,107. *leges quales primitus fuerint.* 32.33. *tituli honorifici.* 52. Ibid. *urbes primæ.* 39
Batavorum opidum *apud Tacitum, vulgo* Neomagum. 123
Batenburg. 122

Batavodurum. 39.123
Bevervvicum. 276
Borſala. 394
Brederoda arx. 296
Briela. 304.
Britannica arx. 295
Brittia inſula. 57.129.137.286
Brittones. 59
Brouvvershavia. 362
Burg-gravii. 62
Buſcumducis ab Hollandiæ Principe Theoderico VII *captum.* 445

C.

Campo-Veria. 377
Carolus V. 86.142
Caſei Edamenſes. 257. *Graveſandici.* 278
Catvvicum, 115,295
Catzium. 115.399
CCCLXIV *infantes uno partu editi.* 259
Celtæ qui. 34
De *Ceſpite uſtibili (vulgo* Turf) *differ-*

diſſertatio, 325
Civitas, *quid Tacito.* 43
Civitates, quæ Deputatos ablegant. 102.150
Cluverius caſtigatur. 117.120.121
Colinſplata. 329
Collegium ſenatorum urbicorum. 176
Comitatus Hollandici inſtitutio. 60,61.120.421
Comitem ſcuto imponendi ac humeris vibrandi mos. 38
Comites Batavorum ſeu Hollandiæ. 148,149. *imperatores in ſuo Comitatu.* 68. *nihil diſcreparunt ab antiquis regibus.* 81, *precario imperarunt.* 82.134
Comitia Ordinum Holl. 119
comitiorum coarctorum deliberandi materia. 153
Concilium Germanorum quotuplex olim. 35
Conſules. 177
Cortgena fluctibus obruta. 398

D

DEcimarum origo apud Hollandos. 31
Decrètum Ordinum Holl. de antiquo jure Reip. Bat. 165
Delegati provinciales, ſive Ordinum 181
Delphi. 224. opidum à Godefrido Lotharingi conditum. 434
Dijckgravii quinam. 61
Domburgum. 385
Dordrechtum. 212. 427. crematum. 448. in diplomate Henrici IV. Imp. appellatur Thuredrecht. Vide infra in Tuſii.
Ducum poteſtas. 28. deligendorum mos. 32
Duvelandia. 363
Dynaſtarum Zelandicorum ſeries. 410

E.

EDamum. 257
Egmonda. 292. Egmondenſe cœnobium antiquum & perillu-luſtre. 423
Elfsdica toparchia. 397
Enchuſa. 251
Enſia inſ. 309

F.

FAlcoburgum. 294
Feudi liberi appellatio. 68
Flackæa ſinus. 346
Fladirtinga antiquitus, quæ nunc Hollandia. 61. 130. 420. eadem quæ Fleerdingen, & Vlaerdinga. 477
Flevus fluv. 58
Flevolandia inſ. ibid. & 309
Fliſſinga. 381
Fœderum genera quot. 41
Fœderatæ provinciæ. 103

Francica bella cum Batavis. 53
Friſiaones & Friſiævones. 28
Friſii, Friſones, & Friſiabones. 57. 58, 59
Friſii *cognomentum Theoderico primo Comiti additum.* 64

G.

GErmaniæ diſtributio. 141
Gertrudeberga. 272
Geervlietum. 304. *Gervlietenſe telonium.* 444
Goedereda inſ. 302
Goeſa. 396
Goricomium. 265
Gouda. 249
Graveſanda, 278
Gravii & Graviones *qui.* 61
Grinnes *Taciti, an* Rhenen. 123. 125. Rinnes *legit Iunius Batavia, pag.* 54.
Guilielmus II, *Comes Holl. Rex Rom.* 451

Haga

H.

HAga. 279
Harlemum. 219. Typographiæ mater prima. 120
Helm, carex, iunci genus. 304
Helvetiorum hodiernorum & priſcorum Batavorum comparatio. 45. 48
Heuſda. 269
Hollandia. 193. unde dicta. 195. 428 Eius termini. 199. ingenium. Ibid. opes. 203. piſcatio, & navium numerus. 208. ambitus, & opidorum pagorumque numerus. 209. municipia. 275. inſulæ. 211. 302. 207. 310. Ordines. 212. urbica regimina. 99 Per vim ab Epiſcopo Vltraiectino occupata. 432, 433. Feudi vinculo non obſtricta. 67. 131
De Hollandiæ Principibus. 318. & 419. 421. &c.
Comitum Holl. nomen cum Philippo ſublatum. 94

518
Hollandorum artes & ſtudia. 315
laudes. 312
Holland *pagus.* 65.130
Holtlandia. 420
Honoris *vox in quem populum cadat, vel non* 42
Hondsboſch. 299
de Hondt *Scaldis fluv. brachium.* 346
Horna. 253
Horologium inſigne & turris Midelburgi. 374
Hoſtis patriæ quis. 185
Huclonium. 294
'tHuys te Britten. 137

I.

INduciæ Belgicæ. 97,98
Ioachimus Polites. Io. Secundo poëtæ celebratus, Goeſanus. 398 399
Iſelmonda. 292,308
Iſelſteynium. 261
Iunius corrigitur. 254
Iura. Vide, *leges.*

Laco-

L.

LAconum reſp. qualis, & quam Hollandorum reip. affinis. 82
Lamberti Aſcafnaburgenſis ſaculum. 130
Lauſduna pagus, cœnobio olim, & partu prodigioſis nobilis. 288
Leges imperii Hollandici. 72, 73
Lerodamum. 262
Leyda. 234
Libertas quid. 25
Lyceſtrius. 96
Lugdunum Bat. Leyden. 123. 234

M.

MAiores patriæ quinam Philippo Leydio. 79
Mattiaci & Mattium. 116, 117, 119. *Selandi crediti.* 116. 348
Mattiaci fontes, & Mattiacæ aqua. 117
Mauritius, princeps. 76. *illius encomium.*

comium. 145
Medenblica. 276
Middelburgum. 368. Quæſtoris ærarij ſedes. 403
Monachodamnum. 257
Mos Cattorum crinem barbamque ſubmittendi. 29.136
Mos creandi Comitem. 32
Muda. 277
Mulier marina. 198
Mutatio Reipublicæ bello cauſſam dat. 86

N.

NArda. 258
Neoportus. 277
Nicolaus Kietenus gigas. 459
Nobiles. 50. nobiles Hollandiæ. 150
nobiles Provinciales. 175
Nobilitatis gradus. 78
Nordbevelandia inſ. 398

O.

OBnoxii & reverentes diffe-runt. 41,42
Obſe-

Obſequii *vox in ſubditos non cadit.* 40
Optimates. 37
Grdines. 20.146. *eorum Deputati.* 155, & 156
Oreſanda inſ. 399
Oſtiorum Rheni nomina. 121
Oudevvatera. 259
Oyerflackaa inſ. 307

P.

P*Agi, id eſt, ditiones, comitatus.* 62
Pagi Holl. 288
Partus prodigioſus. 289
Pax cum Hiſpano. 97, 98
Pettemum. 299
Philippus Caroli V. fil. 87.143. *principatu abdicatus.* 91.75.138
Pirshilla. 306
Plebis ſtatus qui olim. 34
Preces, id eſt, tributa & collecta. 80
Principatus quid. 17.111
Principes qui intelligi poſſint. 33

Principum magnitudo in gentes in Republica mutationis cauſſa. 86
Proles numeroſa ſupra naturam. 289
Provinciæ Fœderatæ. 144
Purmerenda. 256
Purmeri laci monſtrum. 198

R.

Rammekens prom. 386
Regnum. 62. 112
Regis poteſtas. 28
Rentmeeſters *in Selandia duo Orientalis & Occidentalis, eorumque dignitas.* 403
Reſp. Aquenſis, Baden. 119
Reverentes & obnoxii *differunt.* 41, & 42
Rinesburg. 130
Rollo Danus. 409
Romerſvvalia. 394
Roterodamum. 270

S.

Salii Francorum natio, Batavis coaluxerunt. 54
Scabini. 177. *vocabulum antiquiſſimum.* 79
Scaldia inſ. 357
Scaldis fl. 394. 396
Schaga. 292
Schellinga inſ. 310
Schiedamum. 272
Schoonhovia. 260
Scuto comitem imponendi ac humeris vibrandi mos. 32
Selandiæ nomen. 344. *limites.* 346. *indoles & fœcunditas.* 354. *opida, & artes.* 405. *converſio.* 408. *quando in comitatum erecta.* 416. *Ordines.* 364. *Reſpublica.* 403. *inſulæ.* 351. *harum origo & dynaſtarum ſeries.* 408. *aggeres, & obſepiendi ratio.* 351. 400
Selandi priſci, an Mattiaci. 348. *quan-*

quando ad Chriſtum converſi. 408. à Danis ex mari educta inſula. Ibid.
Senatus urbium. 78
Sevenberga. 274
Signa quibus populi inferiores Romanis ſubiectos ſe profitebantur. 42. & 43
Siren in lacu Purmerendano. 179
Societatis vocabulum quid denotet. 42
Somerſdica & Somerſdikium. 305
Status. 19
Suffragiorum ratio. 154

T.

Territorium Tranſmoſanum. 307
inſ. 308
Teſſalia inſ. 365
Tola inſ. 80
Tributorum indicendorũ ratio. 35
Tuſii in Batavorum gente. Apud Plinium (lib. IV. cap. XV.) in exoletis codicibus Sturii, non Tuſii

Tuſii legitur. *Atque ad huius gentis etymon* Thuridrechti *fortaſſe an civitatis appellatio referenda. De Tullijs vero conſulenda Iunij Batavia pag.* 28.
Typographiæ inventio prima Harlemi. 120, & 121

V.

VEria, ſeu Campo-Veria quando muris cingi cœperit. 377
Verona. 234
Viana. 261
Vlardinga. 277. vide *Fladirtinga.*
Vorna inſ. 302. 305. 285
Vornanus ager. 305
Vrbes. vide, *Civitates.*
Vrca inſ. 309
Vroetſchappen. 176
Vronla. 62. 130

W.

WAlachria, ſive VValchria. 367. 404. 414
VVeſopium. 257

VVeſt-

VVeſt-Capella. 385
VVeſthovia. Ibid.
VVillemſtada. 275
VViringa inſ. 309
VVoerda. 258
VVolferſdica inſ. 403
VVori chomum. 269

Z.

Zelandia, vide *Selandia.*
Zelotypiæ exemplum. 464
Zipa canalis. 300
Zirizæa, eius antiquitas. 356. *ſedes quæſtoris ærarii.* 403
Ziringias V. N. 356
Zuydbevelandia inſ. 391
Zuydburgum. 391
De Etymo Zelandiæ. 507

FINIS.

BIBL LYON

